

Jo: Allemand



HERMENEUTICA

BIBLICA GENERALIS

JUXTA

FORMAM STUDII THEOLOGICI

IN

IMPERIO AUSTRIACO PRAESCRIPTAM.

EDITA

A

CASPARO UNTERKIRCHER,

Professore studii biblici N. F. Tridenti.



Editio secunda.

OENIPONTI.

TYPIS ET SUMTIBUS WAGNERIANIS.

1834.

PRAEFATIO.

Benigne Lector!

Non novum auctorem in lucem prodire vides, sed tantum scripta Professoris, qui sibi laudem auctoris non arrogat, collecta quoad maximam partem ex aliis auctoribus in utilitatem studiosorum.

Fundamentum hujus libri est nota Arigleri Hermeneutica biblica generalis, quae tamen tot defectibus laborat, ut reformatio quaedam ex multis titulis merito desideretur. Inde quaedam mu-

tavi, alia omisi, plura adjeci, omnibus saltem plus lucis inferre conatus.

Nihilominus quaedam nova et forte ita nova invenies, ut timeam, ne primo intuitu iisdem offendaris. Intelligo praesertim ea, quae de indole et consilio Bibliorum N. F. dicuntur. At omnia diligenter perpendas velim, et, ut spero, mecum consenties.

Si lectores in auctores quoscunque injusti censentur, qui eorum scripta apta esse volunt ad finem, quem auctores ipsi sibi praefixum non habuerunt: gravissime peccaremus, si libris N. F. finem tribueremus, de quo auctores sacri non cogitarunt. Inde ante omnia opus est, ut horum finem sedulo et accurate definiamus.

Porro si in hac re summi momenti legentes hypothesi minus accurata aut plane erronea ducuntur, periculum est, ne cum libri sacri, tum

ipsa religio revelata in eorum oculis vilescat. Contra, ut mihi saltem persuasum est, si S. Scriptura semper ex consilio suo spectata, et dispositio divina circa traditionem et conservationem religionis nostrae ob oculos habita fuisset: nec increduli tam multa in illa carpenda invenissent, nec Christiani in tot sectas abiissent.

Dum proin Bibliis N. F. finem abnego, qui ipsis tribui solet, erga divinum religionis Fundatorem tam parum injurium me esse puto, quam parum quis naturae auctori injuriam infert, qui negat, pedes manusque certe utilissimas ad videndum esse datas.

Quod attinet argumentum hujus libri, non me fugit, quae speciatim de Bibliis N. F. traduntur, ab aliis non ad Hermeneuticam generalem, sed specialem, i. e. ad Introductionem referri. At quomodo ea, quae de locis parallelis ac analogia fidei seu doctrinae, de enantiophanis etc. va-

lent, solide tractari possunt, nisi antea indoles et finis Bibliorum N. F. cognitus fuerit? —

Quare non miraberis, specialia quaedam de his libris afferri, cum in nostris scholis quidem Introductio A., non item N. F. Hermeneuticae nostrae praecedat.

Caeterum omnia subjecta sint judicio magisterii ecclesiastici, quod tanquam summum religionis tribunal divinitus constitutum veneror.

TRIDENTI Cal. Mart. 1830.

P. U.

CONSPECTUS LIBRI.

PARS ISAGOGICA.

PRIMA PARS.

SECTIO I.

DE SENSU INVENIENDO PER USUM LOQUENDI.

Caput I.

De usu loquendi in genere.

Caput II.

De usu loquendi biblico in specie.

A. De indole linguae N. T.

B. De fontibus cognitionis linguae N. F.

I.

De fontibus cognitionis linguae N. F. quatenus est graeca.

II.

De fontibus cognitionis linguae N. F. quatenus est hebraistica.

III.

De fontibus cognitionis linguae N. F. quatenus est christiana.

SECTIO II.

DE CULTURA LOQUENTIS.

Caput I.

Cultura, quatenus influit in orationis materiam.

Caput II.

Cultura loquentis, quatenus influit in orationis formam.

SECTIO III.

DE INVENIENDO SENSU PER NEXUM ORATIONIS.

Caput I.

Nexus externus.

Caput II.

Nexus internus seu contextus.

SECTIO IV.

DE SENSU INVENIENDO EX CONSILIO.

Caput I.

De consiliis considerandis.

Caput II.

De consiliis inquirendis.

A. De consiliis cognoscendis ex indiciis orationis continuae internis et externis.

B. De consiliis inquirendis ex locis parallelis inter se conciliatis et analogis.

I.

De locis parallelis.

II.

De compositione enantiophanorum.

a. In dogmaticis.

b. In historicis.

c. In propheticis.

III.

De consiliis inquirendis ex locis analogis, seu analogia fidei.

SECUNDA PARS.

DE SENSU INVENTO RITE EXPONENDO.

I.

II.

III.

IV.



PARS ISAGOGICA.

§. 1.

Quid et quotuplex sit Hermeneutica.

Libri, quibus religio christiana, quam profitemur, innititur, Biblia sacra, ut constat, nominantur, et ad duplicem epocham antiqui et novi foederis referuntur. Hos libros perfecte intelligere omnium quidem Christianorum interest, praecipue vero eorum, qui munus tradendi religionem in se suscipiunt, ac proin illos aliis quoque interpretari tenentur, quo in munere carere non possunt regulis, quae Hermeneuticam (ἑρμενευτικην) constituunt sic dictam ab Ἑρμης, cujus fuit manifestare sensa Jovis.

Est vero Hermeneutica in sensu generali accepta ars vel scientia declarandi cogitatuum indicia qualiacunque: applicata autem ad monumenta scripta, horum sensum indagare et exponere docet, in quo negotio praeceptis quibusdam ac regulis, ut omnes artes et scientiae, dirigitur, quae simul sumtae et in systema redactae ipsam Hermeneuticam objective spectatam efficiunt. Subjective autem est facultas verum librorum sensum investigandi et rite exponendi.

Ex natura rei manifestum est, talem scientiam ad libros profanos aut sacros seu biblicos referri posse, et iterum aut ad omnes libros biblicos simul, aut ad certam speciem eorundem; ex quo Hermeneutica profana et biblica, generalis et specialis distingui potest, quibus forte et singularem subjungere licet, quatenus singulis libris occupatur.

Nos hic nonnisi Hermeneuticam biblicam generalem trademus, haustam potissimum ex sanis rationis principiis et ex indole ac consilio Bibliorum utriusque foederis, ad quae rite intelligenda et exponenda omnia, quae dicemus, collimant.

§. 2.

Interpretis biblici officium explicatur.

Si Hermeneuticae nostrae est, sensum Bibliorum invenire et debito modo exponere, munus interpretis biblici non eo absolvitur, ut sententiam forte ex una lingua in alteram ad verbum transferat, sed potius, ut scripti sensum investiget, investigatum accommodate ad linguarum indolem exprimat, eumque allatis rationibus confirmet, ac erudite et solide demonstret.

Hunc in finem nonnunquam ab interprete biblico triplex interpretatio exigitur, et quidem

a. grammaticalis, quae requirit, ut vim et significationem verborum cum singulorum tum junctorum, adeoque phrasium ex usu loquendi, ex orationis contextu etc. eruat;

b. historico-theologica, cujus est e momentis historicis, uti sunt occasio sermonis, adjuncta temporum et personarum, principia et scopus loquentis etc., confirmare sensum, quem interpretatio grammaticalis in dato loco praebere videtur. Haec interpretatio succedit grammaticali, quia juxta rei naturam et notam sententiam Scriptura non potest intelligi theologice, nisi antea intellecta fuerit grammatice.

c. His jungenda est in quibusdam locis tertia, quam philosophicam vocamus, vi cujus sensus inventi veritas non tam examinatur, quam ad principia philosophica et leges physicas refertur et explicatur, quomodo cum illis conjungi, vel ad has conformari queat aut nequeat; sic interpretis

biblici erit ostendere, quam parum creatio ex nihilo, quam docet Scriptura, illo principio evertatur: Ex nihilo nihil fit; aut eventum aliquem esse miraculum, non eventum naturalem; narrationem aliquam esse historicam, non mythicam; vel doctrinam aliquam, licet sit mysterium, non repugnare rationi.

In hoc munere interpres accurate versetur, ne ex una aut ex altera parte modum excedat. Non enim neganda est rationi omnis facultas in rebus divinis cognoscendis: at illud liquet, rationis non esse definire ea, quae ad naturam, placita et operationes divinas spectant, atque ita rejicere dogmata sibi impervia.

§. 3.

Significatio differt a sensu.

Ut munus interpretis perfectius perspiciamus, discrimina quoque observanda sunt, quae inter significationem et sensum intercedunt: illa denotat notiones verbis in se spectatis sive singulis, sive omnibus simul sumtis subjectas: hic indicat notiones a loquente spectatas, seu sententiam a loquente cum dictione conjunctam. Inde fieri potest, ut singula verba dictionis intelligamus, quin sensum ipsum assequamur.

Ex dictis patet:

a. Significatio ad vocabulum refertur, sensus ad loquentem, qui vocabulo utitur.

b. Significatio unius ejusdemque vocabuli, si non semper, plerumque tamen est multiplex; sensus vero semper est unica in dato loco ab auctore verborum spectata sententia.

c. Significationes semper immediate e potestate verborum patescunt iis, qui linguam perfecte intelligunt: sensus

vero haud raro nonnisi e rebus significatis, e serie cogitatuum aliisque colligitur.

Haec sufficiunt ad nos convincendos, quam parum interpres officio suo satisfaceret, qui nihil aliud declararet, quam quae cuivis vocabulo significatio subsit, et quod eo ipsi enitendum sit, ut certum et determinatum sensum in dato loco assequatur et exponat.

§. 4.

Quibus scientiis indigeat interpres biblicus.

Ex praedictis facile colligitur, interpretem biblicum, ut officio suo satisfaciat, variis scientiis et cognitionibus indigere, et quidem

a. perfecta cognitione linguarum, in quibus libri biblici exarati sunt.

b. Cum libri antiqui semper quaedam ex conditione, moribus, institutis antiquis etc. aspersa habent, quae elapsis et mutatis temporibus praesertim in alia regione intelligi non possunt; Archaeologia in tota sua extensione interpreti cognita sit oportet.

c. Scientia praeceptorum, quae eum in munere suo dirigant, quorum systema Hermeneuticam nostram generalem efficit. Hoc tamen non ita intelligendum esse puto, ac si sine his praeceptis systematice traditis nulla interpretandi facultas adesse posset; nam haec praecepta non sunt nisi sanae rationis dictamina applicata ad interpretationem Bibliorum, quae proin cuivis, qui subtiliori ingenio pollet, per se innotescunt, quaeque jam in lectione Classicorum quoad magnam partem quasi inscii adhibere solemus.

Nihilominus haec systematice tradita suam utilitatem habent, uti Logica et aliae theoriae scientiarum ac artium.

Per systema regularum Hermeneuticae et facilius et certius interpretari discimus: facilius, quia methodum legitimam praescribunt, cujus ope leviori negotio in interpretando versamur: certius, quia qui sequitur principia certa, de quibus nempe convenit inter omnes, certa via incedit, et quidquid e principiis certis legitima conclusione infertur, verum esse debet.

Attamen fatendum est; licet principia certa sint, et legitima conclusio addatur, tamen non aeque certa semper est interpretatio, quia principia in se quidem certa non semper aeque certa sunt in applicatione; sic nemo negat, contra usum loquendi non esse interpretandum: at ipse usus loquendi non est semper certus, expressio saepe vaga invenitur, et sic de aliis.

d. Non minus indiget interpres biblicus illis cognitionibus historico-criticis, quae in Introductionibus cum A. tum N. F. traduntur, quatenus Hermeneuticam specialem constituunt. Huc spectat ipsa Critica, cujus est dijudicare inter lectiones variantes, quae per multa secula in Biblia non minus quam in alios libros antiquos irrepserunt. Cum vero criticus plerumque munere suo fungi nesciat, quin ad contextum, ad argumenta interna ac fata Bibliorum respiciat, adeoque ea consulat, quae Hermeneutica generalis et specialis tradit; necessarium est, ut Critica cum Hermeneutica ipsaque exegesi, seu interpretatione textus conjungatur, quae pari passu ambulare debent, ut sibi mutuo lumen praebeant.

e. Denique huc refero frequens exercitium exegeticum, licet ad scientias proprie non spectet; nam ut aliarum artium et scientiarum theoriae per praxin solide cognoscuntur; sic et theoria interpretationis per exercitia exegetica demum perfecte intelligitur.

§. 5.

Dotes et dispositio animi in interprete biblico.

Praeter allatas scientias etiam alia quaedam in biblico interprete requiruntur, et quidem primo naturalis quaedam mentis perspicacia, quae non omnibus data est; porro sincerus veritatis amor, mens ab omni praejudicio libera, animus ab affectibus remotus, imo spiritus divina gratia dispositus ad divinas veritates rite percipiendas. Teste enim experientia in negotio interpretationis praevia cogitandi ac sentiendi ratio interpretis maximum influxum habet, qui, si certis principiis imbutus aut affectibus abreptus doctrinas quasdam aversatur, alias contra fovet; loca etiam sat clara ita interpretatur, ut sensus prodeat suis principiis respondens potius, quam spiritui religionis conveniens.

Hoc errandi periculum tantum est, ut non tantum sectarii deliriis et affectibus obcoecati, sed etiam viri, qui, ut putant, animo sedato et a praejudiciis libero interpretationis munus sibi sumunt, gravissime errare soleant.

Inde videmus viros in linguis orientalibus et scientiis omnis generis versatissimos, qui praejudiciis philosophicis aut aliis occupati in interpretatione biblica in absurdissima quaeque feruntur, ita ut vix absurditas tanta sit, quae non doctos viros fautores et defensores invenerit. „Animalis homo (ait Paul. I. Cor. II. 14) non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinantur.“ Sensus profanus non capit, quae sunt Spiritus divini: qui effata Spiritus S. intelligere volunt, eodem Spiritu illustrati sint oportet. (II. Pet. I. 20, 21.)

Jam ex his liquet, quam sapienter divinus religionis auctor in Ecclesia magisterium perpetuum instituerit, a quo

ejus asseclae authenticam religionis suae institutionem repetere possint, de quo per decursum libri nos magis convincemus.

§. 6.

Limites Hermeneuticae.

Ad officium interpretis biblici accuratius cognoscendum etiam limites Hermeneuticae considerare utile videtur.

Jam ex definitione superius allata patet, interpretis non esse objectivam inventi sensus veritatem examinare, admittere aut rejicere; satisfecit prorsus officio suo, si effecerit, ut ii, quibus interpretatur, eosdem cogitatus cum verbis libri conjungant, quos conjunxit ipse auctor verborum, eosque a repugnantia cum certis rationis principiis vindicaverit. Qui veritatem objectivam examini rationis ita subjicit, ut eam aut rejiciat aut admittat, non interpretem, sed criticum agit et judicem, quod omnium minime in libris revelationis concedendum est.

Nec ad Hermeneuticum pertinet homileticos aut asceticos textuum usus speciali modo indicare; nam sensus litteralis rite expositus homiliis materiam et argumenta sine difficultate offert, et oratores sacri jure gaudent loca Scripturae etiam in sensu accommodato adhibendi, eisque veritatem aliquam assumtam illustrandi. Aeque parum ascetae sensui litterali adstricti sunt. Non tamen ab interprete sacro alienum est, sensum mysticum efferre et illustrare, qui rebus rite perpensis alicubi locum habuerit, praecipue in eo casu, ubi sensus litteralis forte nonnisi tanquam involucrum altioris sensus et doctrinae spectandus fuerit, ut in Cantico Cant.

Nec examen aestheticum, quo lingua et stilus judicatur,

ad officium interpretis spectat, nisi quatenus hoc ad determinandum sensum confert.

Forte majori jure ad limites Hermeneuticae referimus, ne interpres ultra librorum consilium extendat interpretationem suam. Quare non quaerat in Bibliis, quod auctores illis committere noluerunt, e. g. integram religionis doctrinam, cujus ex consilio scriptorum nonnisi fragmenta continent. Si in libris Mosis non occurrunt aperta indicia certae cujusdam veritatis, e. g. de diverso statu bonorum et malorum post mortem, male inferet: ergo Moses et populus israeliticus illam ignoravit. Nec adhibeat interpres Biblia ad finem, ad quem non sunt scripta, e. g. ad dogmata definienda, quae nonnisi obiter, aut cum accommodatione quadam, aut sermone minus accurato tanguntur. Plura de his in Sect. IV. de consilio.

§. 7.

Ad quae interpres attendere debeat.

Cognito jam officio et indole interpretationis biblicae naturae consentaneum est, ut reflectamus ad ea, quae interpreti consideranda sunt, ut officio suo satisfaciat. Haec ad sequentia quatuor reduci possunt:

a. ad usum loquendi, qui est nexus inter vocabula loquendique formulas et inter significationes;

b. ad culturam loquentis, quae in materiam et formam orationis ita influit, ut nonnunquam dictio rite intelligi nequeat, quin ad illam attendatur;

c. ad nexum orationis, qui quoad relationes externas et internas spectandus est, ut sensus perfecte percipiatur;

d. denique ad consilium seu finem, quem dictionis auctor intendit. Ad haec quatuor omnia praecepta her-

meneutica revocari possunt, quatenus ad sensum indagandum spectant.

§. 8.

Criterium hermeneuticum.

Ex quatuor commemoratis generalis regula deduci potest, quae tanquam criterium hermeneuticum seu exegeticum merito consideratur et sic sonat: Sensus, qui usui loquendi et culturae loquentis, qui nexui et consilio orationis respondet, verus loci sensus habendus est; quem si interpres rite exposuerit, satisfecit officio suo.

Huic criterio immerito opponitur illud, quod in errorem inducat, si quis aliter loquitur, et aliter cogitat; nam interpretis est tantum indagare et exponere dictorum sensum, non vero penetrare in adyta cordis humani et perscrutari ejus mysteria; hoc Deo soli reservatum est. Nec criterium nostrum cogit aliquem, ut sensum, quem verba praeseferunt, tanquam veram cogitandi rationem loquentis consideret.

Opponitur et illud: Nonnunqam occurrit expressio quaedam ambigua et generalis, cujus sensus etiam adhibito hoc criterio ambiguus et indefinitus manet.

Neque hoc regulae nostrae obest; nam si expressio quaedam ambigua est, et si ambiguitas haec recte vitio verteretur; culpa esset ex parte loquentis, non interpretantis. At non raro sapienter et prudenter minus determinate loquimur. In neutro casu interpretatio ambiguitatem, quae textui inest, tollat, quae adhibitis his adminiculis, quae nostrum criterium innuit, tolli non potest. Idem valet de expressionibus genericis.

§. 9.

Sensus qualitates quoad gradum certitudinis.

Ex criterio allato facile nobis erit ferre judicium de sensu, utrum sit certe verus, vel certe falsus, dubius, probabilis vel improbabilis. Si interpretatio loci alicujus illis quatuor perfecte respondet, aut repugnat, certo vera aut certo falsa erit. Quodsi consideratis illis quatuor sensus aliquis tam parum est definitus, ut alius aeque locum habere possit, sensus dubius censetur. Si vero plura aut graviora argumenta pro alterutro pugnant, unus probabilior, alter minus probabilis dici solet.

§. 10.

Supremum Hermeneuticae principium.

Omnis disciplina, quae ad dignitatem scientiae aspirat, e mente eruditorum supremum aliquod principium habere debet, e quo quasi ex ultimo fonte regulae et praecepta illius promonant, et in quod ascendendo redeunt; sic in philosophia practica lex fundamentalis seu suprema statuitur, unde omnes regulae practicae deducuntur. Quodsi pro Hermeneutica quoque tale quid quaereretur, illa ipsa propositio, quam mox attulimus, tanquam supremum principium assumi posset, siquidem omnia ea, a quibus veri sensus indagatio pendet, ad unum ex illis quatuor revocari possunt.

§. 11.

Veritas nostri principii vindicatur.

Contra valorem allati principii cogitari posset: Si haec adeo evidens et facilis regula supremum principium exegeticum constituit, et quasi totam Hermeneuticam complectitur.

cur nihilominus maxima interpretationum diversitas observatur, ita ut vix ullus sit gravior Scripturae locus, qui non a diversis diversimode explicetur?

Hujus diversitatis rationes aliae sunt ex parte Bibliorum, aliae ex parte interpretum. Primi generis sunt:

a. Perfecta Bibliorum interpretatio adeo difficilis est, ac tot et tanta adminicula requirit, ut ad ea comparanda pauci homines, aut rectius nulli sufficiant.

b. Scriptura quoad magnam partem non est scripta ad ακριβειαν scholae, nec ad rigorem logicum, sed stilo vulgari; expressiones sunt saepe vagae, ambiguae, ita ut in diverso sensu intelligi possint. Cum jam in his casibus sensus cum certitudine determinari non potest, plerumque opiniones praeconceptae interpretis interpretationem dirigunt et decidunt.

Rationes secundi generis:

a. Multi sine debita praeparatione ad interpretationem accedunt: in quo casu etiam eruditissimi alias viri et sagacissimi errare solent.

b. Conditio naturae hominum talis est, ut omnes sibi relicti praejudiciis quibusdam teneantur. Inde non tam quaerunt veritatem, quam ejusmodi interpretationis corollaria, quae eorum opinionibus praeviis respondent, quin forte perversae hujus intentionis ipsi sibi clare conscii sint. Qua de causa Christus in Ecclesia sua merito auctoritatem sui vicariam suoque Spiritu dirigendam constituit.

c. Quotquot Scripturam tanquam unicum religionis fontem ac normam dogmatum considerant, scriptis sacris praesertim N. F. finem tribuunt, de quo auctores ipsi ne cogitarunt quidem. Inde spreto magisterio religionis divinitus constituto, et neglecta traditione, quam Biblia N. F. ipsa supponunt, in his quaerunt completum et determinatum systema dogmatum; quod dum non inveniunt, doctrinam

catechismi, quem a juventute memoriae tradiderunt, aut philosophiae, cui addicti sunt, ingerunt potius quam eruunt. Ex his facile declaratur, cur tot diversae interpretationes inveniantur, quin veritas principii nostri vel minimum debilitetur.

§. 12.

De diversis sensibus.

Theologi in sacris litteris semper distinxerunt plures sensus, nempe litteralem, historicum, qui in proprium et improprium seu metaphoricum dividitur, quem scilicet verba in orationis nexu spectata praeseferunt; et sensum mediatum, symbolicum, typicum, mysticum, qui non proxime per verba, sed per res verbis expressas innuitur. Div. Thomas de hac materia ita scribit: (Summae partis I. vol. I. art. X.) „Auctor Scripturae sacrae est Deus, in cujus potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet, quod etiam homo facere potest, sed etiam res ipsas. Et ideo cum in omnibus scientiis voces significent, hoc habet proprium ista scientia, quod ipsae res significatae per voces etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio, qua voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est sensus historicus vel litteralis. Illa vero significatio, qua res significatae per voces iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis (mysticus), qui super litteralem fundatur et eum supponit."

Sensus mediatus triplex distinguitur ab antiquis:

a. Allegoricus, quatenus res fidei respicit. (Saepe tamen eadem vox generice ad denotandum quemcumque sensum mediatum, mysticum adhibetur).

b. Tropologicus, quatenus spectat ad mores.

c. Anagogicus, quatenus refertur ad alterius vitae statum, ad gloriam aeternam.

Ad haec sensus genera memoriae imprimenda, sequentes versus inventi sunt:

Littera gesta docet; quid credas allegoria;
Moralis, quid agas; quo tendas, anagogia.

Jerusalem plerumque ut exemplum quadruplicis sensus eligitur, quae litteraliter notam metropolim Judaeae, allegorice Ecclesiam in hac terra militantem, tropologice animam hominis, et anagogice patriam coelestem indicat.

Alia divisio sensus mediati, quae quibusdam placuit, est in historicum, moralem et propheticum, prout aut factum historicum, aut officium morale, aut eventum futurum res verbis expressae innuunt. Divisio tamen haec non est logice accurata, quia membra dividentia non se mutuo excludunt, siquidem sensus mediatus historicus simul moralis esse potest et debet, dum e. g. beneficia divina in memoriam revocantur. Res verbis expressa, quae aliam rem futuram delineat, typus dicitur, quod vocabulum tamen non semper in rigore sumitur.

Quid sit sensus explicitus et implicitus, ex vi verborum patet.

Denique cognoscendus nobis est sensus, qui appellatur accommodatitius, ubi locus Scripturae ad aliud objectum applicatur, quam de quo agit in sensu literali vel mediato. Hujus generis accommodationes occurrunt in ipsis Bibliis N. F. ad fidei et morum dogmata declaranda; saepius ad eundem finem adhibentur a Patribus et oratoribus sacris; non tamen per se solae sine respectu saltem ad auctoritatem loquentis inserviunt ad probandum, sed tantum ad illustrandum.

§. 13.

Opiniones de multiplici sensu litterali in eodem loco.

Licet S. Scriptura merito divina habeatur, ab hominibus tamen pro hominibus more humano scripta est. Inde existimandum esse videtur, sacra Biblia sic esse intelligenda et explicanda, sicut monumenta humana scripta intelligi et explicari solent, quibus nonnisi unus sensus litteralis tribuitur.

Non defuerunt tamen jam inter Judaeos, qui aliter de hac re sentirent, et defenderent, e quovis apice Scripturae pendere montes sapientiae, i. e. multos ejusdem verbi et ejusdem expressionis esse sensus.

Rationem hujus asserti statuerunt divini intellectus magnitudinem, qui pro sua immensitate praevidit, quid singuli homines de singulis locis Scripturae cogitaturi sint. Hinc sic libros sacros esse intelligendos, ut omnis, quicunque erui possit sensus, in quovis loco quaeratur.

Haec opinio confirmari videbatur per varietatem interpretationum unius ejusdemque loci, quarum plures, si non omnes, speciem probabilitatis praesetulerunt.

Similis interpretandi ratio etiam Christianis quibusdam placuit. Nemo tamen eousque progressus est, ut Joh. Coccejus. Batavus ecclesiae reformatae addictus, qui defendebat, nihil fieri posse in mundo, ad quod Deus in S. Scriptura non respexerit.

Inter Ecclesiae catholicae Patres, qui multiplicem sensum litteralem in eodem loco tueri creduntur, referuntur praesertim S. Augustinus et Div. Thomas, qui posterior scribit: „Quia sensus litteralis est, quem auctor intendit, auctor autem S. Scripturae Deus est, qui omnia suo intellectu comprehendit, non est inconveniens, ut dicit Augusti-

nus 12. Conf., si etiam secundum litteralem sensum in una littera Scripturae plures sint sensus."

(Summae primae partis vol. I. Art. X.)

Quodsi res ita consideratur, multiplex sensus litteralis in quibusdam locis negari non posset, siquidem etiam sensus objectivus, de quo mox sermo erit, diceretur litteralis.

At nos per sensum litteralem non intelligimus illum, quem Deus intendit ut auctor Scripturae, sed quem verba in se spectata praeseferunt.

Quod jam attinet hanc controversiam, non negamus, Deum cum uno verbo et loquendi formula plures cogitatus conjungere potuisse; ipsum vero hoc etiam revera facere voluisse, sine ratione sufficiente eo minus admitti potest, quia admissa hac pluralitate interpretatio incerta redderetur, timendumque esset, ne legentes sensum sibi placentem potius, quam in Scriptura fundatum eruere aut ingerere praesumant. Propterea tamen non absurdum existimarem, si verbum originalis in tota sua extensione intelligitur, in qua ad objectum in dato loco quadrat. Rom. I. 12. συμπαρακληθῆναι et de confirmatione et consolatione mutua intelligi posse putarem, quia vox graeca unum et alterum significat, et unum et alterum ad rem quadrat. Forte simile quid dici potest de Is. LIII. 8: „Generationem ejus quis enarrabit?" quin propterea duplex sensus litteralis statuatur.

Certum praeterea est, Deum praevidisse omnes cogitatus, quos lecturi cum verbis Scripturae conjuncturi sint: sed eundem etiam voluisse, ut hos omnes cogitatus cum verbis conjungant, probari nequit, nisi forte ea de causa, quia cogitatus ex natura sua sunt veri, pii et promoventes gloriam divinam et salutem hominum.

In hac hypothesi S. Augustinus piam opinionem de multiplici sensu litterali tenuisse videtur; nam Confess. XII. 30. sic ait: „Eundem famulum tuum (Mosen) scripturae

hujus dispensatorem Spiritu plenum ita honoremus, ut hoc eum te revelante, cum haec scriberet, attendisse credamus, quod in eis maxime et luce veritatis et fruge utilitatis excellit. Ita cum alius dixerit: hoc sensit, quod ego, et alius imo illud, quod ego; religiosius me arbitror dicere: cur non utrumque potius, si utrumque verum est? Et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem unus Deus sacras litteras vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit?"

Locus iste S. Patris, quo praecipue nituntur defensores multiplicis sensus litteralis, nonnisi de lectione Scripturae aedificante, si ita loqui fas est, cum qua meditatio conjungitur, aut veritates jam notas illustrante valere videtur, quam sub allata hypothesi nemo rejiciet.

§. 14.

Discrimen inter sensum objectivum et subjectivum recte admittitur.

Quamvis vero arbitramur, plures sensus litterales in eodem loco non esse admittendos, id tamen non impedit, quominus in quibusdam locis, praesertim prophetiis duplex sensus distinguatur, nempe subjectivus, qui menti Prophetae aut narrantis obversabatur, et objectivus, qui a Deo revelante intendebatur. Sunt quidem, qui hanc distinctionem ut parum logicam et nullius usus rejiciendam esse putant. Verum hoc discrimen in Bibliis et rerum natura omnino fundatum esse credimus.

Nam Prophetae ipsi nonnunquam fatentur, se non intellexisse ea, quae sibi a Deo revelata essent; sed dicunt, intellectum iri a posteris, Is. VI. 9—13. Jerem. XXIII. 20.

Ezech. XXXIII. 30. Dan. XII. 8. etc. Nec dubitandum est, Prophetas iis quoque vaticiniis, ubi talem ignorantiam non aperte fatentur, saltem plus minusve diversum sensum tribuisse, quam qui ipsis tribuendus fuit e mente Dei revelantis. (Confer. Jahn. Introductio germ. in lib. V. T. part. 2. §. 82, et Ackermanii §. 76, pag. 223.)

Idem patet ex I. Pet. I. 10—12, ubi Apostolus claris verbis dicit: Prophetas ipsos exquisivisse et scrutatos esse de iis, quae prophetassent per Spiritum non sibi, sed posteris —

Talis differentia etiam admitti debet inter sensum, quem verba proxime de figura habent, et illum, quem habent respectu figurati, inter sensum verbornm et significationem, quam res verbis narratae ex dispositione divina habent; nam quae dicuntur de figuris, proxime quidem ex mente auctoris de his, remote autem e mente divina de figuratis valebant, quam relationem scriptor sacer aut omnino non, aut non perfecte intellexit. Sunt loca A. F., uti e. g. Ps. XVI. et CX., quae forte proxime aliud objectum respexerunt, at non sine influxu divino ita sonant, ut de objectis N. F. valeant, et quidem nonnunquam accuratius valeant, quam de objectis A. F. Inde psalmi illi in Bibliis N. F. passim de Messia intelliguntur.

Idem valet de significatione, quam res et instituta, ritus etc. in V. T. habebant respectu N., quam ipse auctor sacer illa narrans forte, imo probabilius non perfecte intellexit; e. g., quae legimus in Mose de agno paschali, etc. Quare in hac distinctione sensus nemo aliquid naturae rei aut rationi contrarium inveniet, nisi qui vel omnem vim divinam in auctores sacros negaverit, vel talem influxum Dei statuerit, ut auctores homines omnia, de quibus scripserunt, aeque intelligerent ac Deus ipse, quod est absurdum.

§. 15.

Notitiae historicae de interpretatione allegorica.

Consuetudo Scripturam interpretandi mystice seu allegorice jam inter Judaeos invaluerat ab ipsis, ut puto, prophetis tradita. Philo notissimus sectator Platonis hanc interpretandi rationem exemplo suo inter suos nimium promovit. Nec negandum est, apostolos quoque, praesertim Paulum, plura A. F. allegorice interpretatos esse.

Quare mirum non est, Christianos eandem interpretationem dilexisse. Eminuit in hoc schola Alexandrina: contra schola Antiochena sensui litterali tenacius adhaesit, quin tamen mysticum penitus negligeret. Origenes interpretamentis allegoricis justo plus indulsisse carpitur. Posteriores Patres omnes plus minusve sensum mysticum sequuti sunt. Nec aliter cogitarunt Acatholici usque versus finem sec. XVIII., quo tempore magna rei mutatio facta est. Cum enim sectatores allegoriarum ita modum excederent, ut defenderent, quaedam Bibliorum loca sensu litterali penitus carere, et nonnisi mysticum habere; ab hoc extremo ad alterum ventum est, ita ut sensus mediatus propheticus tanquam inanis lusus ingenii a multis penitus rejiceretur, postquam Joh. Wilh. Rau opus suum:

„Freimüthige Untersuchung über die Typologie 1784“

scripsit contra opusculum Joann. Dav. Michaelis:

„Entwurf der typischen Theologie 1763“

Sensus tamen mediatus historicus et moralis nunquam in controversiam vocatus est.

§. 15.

Sensus mediatus propheticus negari non potest.

Quam frequens mos per actiones et signa exprimendi sensa apud Orientales ab antiquissimis temporibus fuerit, inter alia videri potest ex egregio opusculo cl. Prof. Kistemaker: „Canticum Cant. illustratum ex Hierographia Orientalium." Huic mori se accommodans Jehova etiam prophetis suis imperavit, ut actiones quasdam peragerent non tantum ad praesentes, sed etiam ad futuras eo tempore res indicandas, e. g. Jes. XX. 1—4. Jerem. XXVII. Ezech. V. etc.

Actiones in his et aliis locis narratae sine controversia habuerunt significationem futurorum. Similia occurrunt in N. F. e. g. Matth. XXI. 18—20. Marc. XI. 12—14. Cum jam Deus ad ea praefiguranda, quae antiquitus evenerunt, symbolis usus est; non occurrit ratio, cur non talia adhiberet ad indicanda, quae in N. F. acciderunt, aut locum habent; proin non occurrit ratio, cur non instituta, ritus, sacrificia eodem jubente praescripta, imo et eventus et facta A. F. ex dispositione divina significationem pro N. F. et relationem ad hoc habere potuerint; analogia certe stat pro opinione affirmante.

Ritus Mosaicos significatione caruisse, jam ex eo vix cogitare licet, quia usus symbolorum in Aegypto fuit frequentissimus; adhuc magis hoc a veri specie abhorret, si consideramus, eosdem Deo jubente fuisse institutos, qui certe nihil facit aut insituit sine consilio. Haec opinio ad certitudinem moralem elevatur, si respicimus ad sequentia:

a. Jesus ipse, non nimium dixerim, sensum mediatum propheticum supponit, dum Matth. XII. 39 Jonam, et Joann. III. 14 aeneum serpentum a Mose exaltatum ut figuram

sui inducere recte creditur. Verba quidem Domini etiam meram tantum comparationem innuere possent; at cum illi eventus singulare quid contineant, et serpens aeneus naturalem sanandi vim non habuerit; valebit, quod dicit de hoc Liber Sapientiae XVI. 7: „Non per hoc, quod videbat, sanabatur, sed per te omnium Salvatorem.“ Huc referrem et Luc. XVIII. 31—33, praecipue Luc. XXIV. 25—27 et 44—47, ubi inter alia legimus: „Quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Mosis et prophetis et psalmis de me.“ Hac occasione Dominum non tantum verba, sed etiam instituta Mosaica, ritus, sacrificia, etc., de se suoque redemtionis opere significantia declarasse omnino credendum est, quia

b. Apostoli in scriptis suis talem relationem inter A. et N. F. aperte profitentur. Paulus Coloss. II. 17 ait: „Quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.“ Hebr. X. 1: „Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.“ In his et aliis oeconomia legis antiquae declaratnr generatim typica pro lege nova. Inde citata specialia hujus generis ex A. F. non ita sunt consideranda, ac si non essent, nisi applicationes ab una re ad aliam ob similitudinem aliquam, licet tale quid nonnunquam locum habeat, ubi typus aut allegoria in sensu latiori sumitur. Propter quasdam accommodationes lex antiqua non cessat esse, ut dicit Apostolus, umbra novae.

At sublato sensu mediato prophetico tolleretur tota haec relatio, tolleretur omnis ratio figurae et typi rebus et ritibus A. F. ad res et mysteria N. F., e. g. inter agnum paschalem, cujus sanguine populus electus liberatus est, et inter Christum Salvatorem, cujus sanguis seu mors expiatoria genus humanum in sensu nobiliori redemit, licet ipse Evangelista Joann. XIX. 36 testetur: „Facta sunt enim haec, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo.“

(Exod. XII. 46. Num. IX. 12), ubi Apostolus aguum paschalem aperte tanquam typum Salvatoris declarat. Tolleretur relatio inter sacrificia expiatoria A. F., et inter sacrificium Redemtoris, cum tamen Joann. Bapt. (Joann. I. 29), quam primum vidit Jesum, solenne testimonium dedit: „Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi," et in Apoc. XIII. 8 Christus nominatur „Agnus, qui occisus est, ab origine mundi."

c. Eundem sensum semper agnovit Ecclesia ut apostoli, et sancti Patres eodem aliquando fortasse nimium utuntur. Hos sequuti sunt theologi, ut diximus, usque ad nostra tempora, quibus demum novatores propter abusus interpretum huic sensui bellum intulerunt. At etiam hic valet, ut ubique: Propter abusus non tollatur usus. Plura de his Sect. IV. §. 132 et 133, ubi sensus mediati indicia considerabimus.

§. 17.

Minus recte sentit Ariglerus de sensu mystico.

Ariglerus in sua Hermeneutica (pag. 14) per sensum mysticum, quem oppugnat, intelligit „notiones religiosas verbis sive immediate sive mediate indicatas, etiamsi per contextum spectatas esse demonstrari nequeat."

Nos tamen essentiam sensus mystici non in eo reponimus, ut per contextum spectatus demonstrari nequeat, — sed ut res verbis expressae et alium sensum habeant; nec propterea, ut putamus, cessat esse mediatus aut mysticus, quia ex contextu cognosci et demonstrari potest. Hunc jam suum sensum mysticum unacum interpretatione morali, quam Kantiani defendunt, allatis argumentis penitus rejicit. Non quidem negat (pag. 13) omnem sensum symbolicum, typicum; sed hunc ad sensum litteralem refert, si e contextu



demonstrari potest, talem sensum a loquente aut narrante spectatum esse: si vero hoc demonstrari non potest, eum nullo modo agnoscit.

Nos vero existimamus, sensum subesse posse cum verbis tum rebus per verba indicatis, licet e contextu demonstrari non possit, eundem sensum ab auctore sacro fuisse spectatum. Imprimis hoc jam fluit ex argumentis allatis pro sensu mystico et ex distinctione inter sensum subjectivum et objectivum; addimus nova:

a. Joann. XI. 48 et seq. apparet, Evangelistam tribuisse verbis Caiphae alium sensum, quam quem habuit loquens, et rem repetiisse ex influxu supernaturali: „Hoc autem a semet ipso non dixit; prophetavit, quia pontifex erat illius anni.“ Proin ex mente Apostoli per influxum divinum verbis inesse potest sensus, quem loquens non intendit. Quomodo idem Joannes Apoc. XIII. 8 Christum nominare potuisset „Agnum, qui occisus est ab origine mundi,“ nisi sacrificia A. F. praefigurassent sacrificium Salvatoris, ita ut ipse in illis quodammodo antecedenter, si ita loqui fas est, occideretur? etc. Hunc vero sensum ab auctoribus V. T. spectatum esse e contextu probari non potest.

b. Occurrunt eventus et facta in sacris litteris, quae sine dubio sensum habent, de quo tamen nihil dicunt auctores sacri; e. g. Matth. XXVII. 51: „Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque ad deorsum.“ Idem referunt Marc. XV. 38 et Luc. XXIII. 45. At nullus Evangelistarum addit, scissionem veli aliquid significasse. Num ergo nihil? hoc nemo dixerit. Sed ut velum obductum fuit ad separandum populum nondum expiatum a Jehova, ad indicanda mysteria Hebraeis abscondita et aditum ad Deum populo integro adhuc negatum etc., sic existimamus, velum scissum moriente Christo indicasse aditum ad Deum

ejusque mysteria nunc omnibus esse apertum, expiationem populi antea indigni esse peractam, cessare legem timoris et incipere legem fiduciae et amoris filialis etc., quod ex oeconomia revelationis cognoscimus.

Notum est omnibus, quod legimus Matth. XXI., Dominum, cum ante mortem suam e loco Bethania in Jerusalem reverteretur, accessisse ficulneam, quaesivisse fructus, quos cum non inveniret, maledixisse arbori, eamque maledicto arefecisse. Evangelistae, qui factum narrant, non innuunt, eodem aliquid esse significatum; tamen non dubitamus, per hanc actionem symbolicam fuisse praefiguratam rejectionem Synagogae.

Eodem modo, etiamsi e contextu demonstrari non potest, a Mose fuisse cognitam relationem inter sacrificium Abrahae et sacrificium Salvatoris, inter agnum paschalem et Salvatorem etc.; tamen hanc relationem e mente divina locum habuisse, et a legentibus recte ita intelligi non dubito.

c. Denique addi potest: Occurrunt partes Scripturae, e quarum sensu litterali nihil Deo dignum, imo et errores prodirent, e. g. Chiliasmus ex interpretatione litterali Apocalypseos, ubi tamen e contextu demonstrari non potest, res typice esse intelligendas. Huc referri potest Cantic. Cantic., de quo dicit S. Hieronymus (in 12 epist. ad Gaudentium, ubi refert, quo ordine libri sacri legendi sint): „Ad ultimum sine periculo discat Cant. Cant., ne, si sub exordio legerit, sub carnalibus verbis spiritu alium nuptiarum epithalamium non intelligens vulneretur." Quare sensus adesse potest, de quo ex contextu demonstrari non potest, cum spectatum esse ab auctore, siquidem et oecanomia revelationis, spiritus religionis et antiquorum ratio cogitandi ac sensa exprimendi consideranda est.

§. 18.

Non melius se defendit contra auctoritatem Patrum.

Contra objectionem eorum, qui auctoritate Patrum Ecclesiae sensum mysticum defendunt, Ariglerus se purgat dicendo (pag. 33): „Sunt patres, qui totam hanc interpretandi rationem vehementer improbant, et fere acerbe perstringunt, veluti Hieronymus et Theodorus Mopsvestenus.“ Et in nota: „Non tantum enim Tertullianus, Theophilus Alexandrinus, Eustathius aliique nonnisi sensum litteralem ubique sequuntur, sed Hieronymus disertis verbis sensum mysticum improbat, dum ait: Abdiam allegorice interpretatus sum, cujus historiam nesciebam, aliosque plures ita sentientes fuisse innuit, dum antehac de quam plurimis adversariis suarum interpretationum mysticarum non modo inter heterodoxos, sed etiam inter orthodoxos conquestus fuit.“

„Adhuc acerbius mysticos interpretes perstringit Theodorus Mopsvestenus Comment. in psalm. et 12 prophetas minores dicens: Qui haec (scilicet adjuncta historica) considerare nolunt, omnia verba ad Christum trahere conantur, ut quae populo contigerunt, de Christo intelligant, Judaeisque ludibrium praebeant, ostendentibus ex verborum consequentia, nihil eorum ad Christum pertinere.“

Qui allata verba perpendit, sane mirabitur, quomodo vir eruditus his probare velit, Hieronymum sensum mysticum improbasse, cum contrarium et ex verbis et exemplo S. Patris evidenter eluceat.

Quod Theodorum Mopsvestenum attinet, saltem in his nonnisi contra abusum interpretationis mysticae loquitur; etenim neglecto sensu litterali sectari interpretamenta typica etiam patronis sensus mystici displicet; nam, ut ait

div. Thomas: Sensus spiritualis super litteralem fundatur et eum supponit“ (vide §. 12). Caeterum non vellem opinionem theologicam auctoritate viri probare, qui ob scripta sua post mortem anathemate percussus fuit.

§. 19.

De frequenti interpretatione allegorica antiquorum.

Nonnulli theologi moderni praesertim inter Protestantes frequenti antiquorum usu interpretationis allegoricae adeo offenduntur, ut in lingua Latina non invenirent vocabulum ad illum satis reprêhendendum; inde Graecum αλληγορομανια composuerunt, ut usum hunc cum debito, ut putant, contemtu indicarent.

Non quidem negamus, antiquos in hoc usu generatim loquendo nimios fuisse: attamen distinguendum est inter declarare, illustrare veritatem aliquam religionis ad informandos et aedificandos, si ita loqui fas est, fideles, et inter stricte probare, demonstrare dogma quoddam. Ad primum scopum interpretatio allegorica sine vitio adhibetur, dummodo ad rem quadrat. Hujus generis interpretationes considerari possunt ut similitudines et allegoriae aestheticae a rebus biblicis desumtae.

Sicut jam narrationes parabolicae non verae, sed fictae egregie inserviunt ad aliquam doctrinam non quidem proprie demonstrandam, sed declarandam et illustrandam; sic etiam interpretationes allegoricae rerum biblicarum ad eundem finem recte adhibentur, licet allegoria quoad determinatum sensum in Bibliis non sit certe fundata. Jam doctores Ecclesiae catholicae non alium plerumque finem in suis interpretationibus habebant, quam declarare et illustrare doctrinas religionis, et applicare ad mores informandos;

ipsa enim dogmata statuere et definire non est cujusvis doctoris, sed magisterii ecclesiastici. Quare frequens interpretatio allegorica antiquorum ad hunc finem adhibita adeo reprehendenda non est.

Fxemplum nobis praebeat S. Augustinus, qui de leprosis, qui Luc. XVII. occurrunt, ait: Leprosi ergo non absurde intelligi possunt, qui scientiam verae fidei non habentes varias doctrinas profitentur erroris.“ Ibi S. Pater instituit et continuat comparationem allegoricam inter lepram et haeresin, inter leprosos et haereticos, in qua interpretatione vix aliquid reprehendas, etsi certum tibi non fuerit, Spiritum S. per lepram haeresin, et per leprosos haereticos typice indicare voluisse. Sic allegoria theologica et aesthetica nonnunquam quasi coaluerunt, ut fere promiscue sumerentur.

Alias quidem quoad formam orationis non tantum per allegorias illustrare, sed revera probare videntur. Verum re accuratius considerata saepe non est, nisi explicandi modus ad gustum temporis accommodatus, et typus pro similitudine quadam sumitur, quod forte nonnunquam etiam de scriptis apostolicis valet.

Attamen ad argumentum stringens pro veritate quadam religionis aliunde non certa interpretationem allegoricam aptam non existimarem, nisi in ipsa Scriptura tale indicium de sensu quodam allegorico seu mystico habeatur, ut juxta sana interpretationis principia negari non possit. In quo SS. Patres licet alias in nsu allegoriarum frequentes conveniunt. S. Hieronymus in cap. XIII. Matth. ait: „Pius quidem sensus, sed nunquam parabola et dubia aenigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere.“

S. Augustinus Lib. I. contra adversarium legis ait: „Illud, quod magis propheta hujus libri (Genes.) auctor

intendit, ut ejus narratio rerum factarum esset etiam praefiguratio futurarum, non est contentiosis et infidelibus sensibus ingerendum."

Div. Thomas dicit: „(Ex multiplicitate sensus) nulla confusio sequitur in sacra Scriptura, cum omnes fundentur super unum, scilicet litteralem, ex quo solo potest trahi argumentum, non autem ex iis, quae secundum allegoriam dicuntur, ut dicit Augustinus in epistola contra Vincentium Donatistam."

(Summae part. I. Vol. I. Art. X.)

Inde theologorum sententia: Theologia mystica non arguit. Haec tamen intelligenda non sunt de iis allegoriis et sensus mediati indiciis, quae juxta regulas hermeneuticas, quas §. 132 et 133 trademus, in ipsa Scriptura ut talia inveniuntur. His probandi vis pro populo Christiano certe non deest.

Licet vero ex interpretatione allegorica theologorum, ut ait S. Thomas, argumentum trahi non possit; tamen **sobrius** illius usus non omni fructu caret; confert enim, si praesertim sensus aliquis mysticus saltem quoad radicem in Bibliis aut oeconomia salutis allatae per revelationem fundatus est, ad sensum pietatis in fidelibus excitandum et conservandum. E. g., si eductio Israelitarum ex Aegyptiorum servitute et introductio in terram promissam exhibetur ut praefigurans redemtionem per Agnum, qui abstulit peccata mundi.

Contra sine fundamento ad probandum sectari allegorias et interpretamenta typica eo magis improbamus, cum haec demonstrandi ratio a gustu nostri temporis abhorrens plus detrimenti quam emolumenti afferret, licet ipsa religio non consistat in modo docendi, sed in fide et charitate.

§. 20.

De citatis A. F. in N. occurrentibus.

Cum doctrina de sensu litterali et mediato seu mystico cohaerere videtur id, quod de citatis biblicis A. F. valet. Licet sensum mediatum sacris litteris, eventibus ac institutis ibidem narratis, actionibus et imaginibus propositis etc. inesse minime dubitemus; tamen non omnia citata A. F., quae in N. occurrunt, et quorum quaedam talem sensum innuunt, in eodem rigore sumenda esse putamus.

Imprimis consueta formula citandi: *ταυτα εγενετο, ἱνα πληρωϑῃ, κ. τ. λ.* erronea videtur, quia eventus non tanquam effectus prophetiae, sed potius tanquam causa ejusdem considerari debet. Ut jam cum hac expressione debitam notionem conjungamus, sciendum est, formulae huic inesse hebraismum, et *ἱνα, ὁπως* (ut) in hoc casu non indicare finem, intentionem sicut latinum ut, sed more hebraici לְמַעַן exprimit eventum, sequelam. Quare illa formula nihil aliud significat, quam: hoc eventu impletum est; cujus rei exempla passim occurrunt. Rom. V. 20 legimus: „Lex autem subintravit, ut abundaret iniquitas.“ Sed nemo dixerit, e mente Pauli legem a Deo eum in finem esse latam, ut abundaret iniquitas, sed effectus, sequela latae legis, quam multi non observarunt, fuit, ut iniquitas multiplicaretur. Simili hebraismo dici posset: Ratio homini data est, ut malum morale oriretur; id esset: quia homini ratio data est, peccatum morale ortum est.

Praeterea *πληρωϑηναι* (impleri) aliquid dicitur juxta observationes theologorum tribus aut quatuor modis:

a. Quando idipsum fit, de quo proprie et litteraliter locus citatus intelligendus est, e. g. Matth. I. 22, dum dici-

tur, impletum esse in Maria illud Isaiae: „Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium“ etc.

b. Cum citatum proxime de re quadam V. T. valebat, quae erat figura alterius in N. T., in qua proin tanquam archetypo recte et logice impletum esse dicitur; tale est illud notissimum Joann. XIX. 36: „Facta sunt enim haec, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo.“

c. Si verba Scripturae de eventu V. T. dicta etiam de eventu N. T. valent, quin primus in rigore figura secundi fuerit, aut verba V. F. litteraliter de objecto N. dicta sint. Huc referrem Matth. II. 15: „Ex Aegypto vocavi filium meum.“

d. Cum id, quod generaliter enuntiatum est in F. A., in speciali quodam casu impletum esse refertur; e. g. dirae contra impios Davidis persequutores enuntiatae in psalm. LXVIII. 30 et CVIII. 7 in Juda proditore impiissimo Act. I. 20 impletae aut implendae dicuntur.

Haec eum in finem dicta sint; ut de citatis biblicis sanum judicium ferre sciamus.

§. 21.

Principium interpretationis moralis Kantianorum rejicitur.

Defensores hujus principii ita circiter ratiocinantur: Ex S. Scriptura, utpote quae a Deo repetitur, nonnisi perfectissimae notiones prodire debent, siquidem in Deum nulla cadit imperfectio: verum notiones religiosae, quas interpretatio litteralis praebet, non semper tales sunt, sed saepius minus perfectae. Inde exigendae et corrigendae sunt ad principia practica rationis purae; imo licet, ut volunt, contra sensum litteralem et historicum Scripturae inferre sensum principiis moralibus conformem, siquidem S. Sc.

non aliud pretium aliumque finem habet, quam ut religionem rationis, quam unice veram et sufficientem esse opinantur, introducat, illustret et confirmet.

Hic procedendi modus intelligitur per interpretationem moralem, cujus auctor est notissimus philosophus Kant.

Sed contra observo: Nullo modo dici potest interpretatio, si contra sensum litteralem et historicum alium libro ingerimus, qui ibidem non invenitur; hoc est potius vaga et violenta Scripturae inversio ad placita philosophica, quam interpretatio. Praeterea non est necessarium, ut revelatio notiones semper et ubique perfectissimas praebeat; solet et debet distingui inter revelationem relativam et absolutam. Prima est talis, quae accommodata ad captum debilem eorum, quibus contingit, in promovendo minori culturae gradu proxime subsistit, et quae proin pro certa tantum aetate destinata est.

Revelationem A. F. nonnisi relativam fuisse inter omnes constat, et a S. Paulo clare edicitur Gal. III. 24: „Itaque lex paedagogus noster fuit in Christo (in Christum).“ Et Jesus aperte professus est, se venisse ad legem implendam, i. e. perficiendam. Hoc cum sapientia paedagogi divini, qui rudem puerum suum Israel erudire voluit, optime convenit; non enim sapientis magistri est, eas pueris jam tradere cognitiones, quas adulti vix capiunt, easque officia ipsis imponere, ad quae implenda vix viri sufficiunt. Genus humanum vero in toto consideratum sequi rationem aetatis humanae ab omnibus philosophis agnoscitur.

Inde lex Mosaica non pro omni tempore destinata fuit, sed saepius indicatum est, legi antiquae novam perfectiorem successuram esse, eamque per totum terrarum orbem propagatum iri.

Quae cum ita sint, non indigemus hujusmodi Scriptu-

rae tractatione ad excusandas quasi et corrigendas notiones religiosas minus perfectas, quae forte in Bibliis A. F. occurrunt.

Contra revelatio **absoluta** est, quae veritates et officia manifestat sine accommodatione; quae proin supremum culturae religiosae gradum proxime intendit, cujus homines sunt capaces. Talem esse revelationem N. F. semper fuit agnitum, et Paulus (Gal. I. 8, 9) energice scribit: „Licet nos, aut angelus de coelo evangelizet vobis, praeter quam quod evangelizavimus, anathema sit!" Quis vero sibi persuaserit, divinam et absolutam revelationem adesse, si doctrinae traditae sunt tales, quae humana ratione corrigi et emendari debeant? Quis non videt, tali modo sacris litteris adimi auctoritatem, dum earum argumentum rationi subordinatur, quod cum revelationis materialis notione et fine pugnat? Eodem modo Scripturam tractandi homines ab omni auctoritate veneranda avocantur, cum ipsa eloquia divina rationi propriae subordinari vident, quod etiam pro societate civili minus salubres sequelas habere posset.

Quodsi adversarii etiam in Bibliis N. F. quaedam desiderant, ut est sermo ad rigorem logicum accommodatus, ακριβεια scholae etc., aliis autem offenduntur, ut sunt enantiophana, accommodationes etc.; respiciant ad adjuncta, in quibus composita, et ad consilium, quo conscripta sunt, nec tribuant ipsis finem, de quo auctores nequidem cogitarunt. Contra attendant ad **dispositionem**, quam divinus religionis auctor pro sectatoribus suis illitteratis non minus quam litteratis fecit, dum in apostolis eorumque successoribus auctoritatem sui vicariam constituit suo Spiritu dirigendam. Vivum hoc et perpetuum magisterium, quod divina auctoritate et assistentia docet, non tantum Biblia N. F. consulit, sed etiam traditionem, et quidem merito, cum apostoli integram religionis doctrinam ac dogmata definita

oretenus potissimum tanquam depositum diligenter custodiendum successoribus suis tradiderunt.

In hoc instituto religioso, ubi praeter Biblia de divina religionis origine auctoritas docens divinitus constituta habetur, non tantum nihil invenitur, quod sana ratio reprehendat, sed ut unice aptum institutum pro hominibus et Deo dignum cognoscitur. Contra philosophi, ut constat, in principiis suis fluctuant et fere singulis decenniis variant. Inde hoc modo revelationis auctoritas concuteretur, et nihil firmi in ejus locum snbstitueretur. Quinam alii errores asserto Kantiano, quod superius audivimus, insint, ex doctrina religionis philosophica notum ponimus.

Quod attinet illam interpretationem moralem, qua ad mores informandos locis Scripturae sensus moralis annectitur, qui illis non inest; semper in usu fuit, et nihil habet, quod reprehendas, licet veri nominis interpretatio non sit.

§. 22.

Lumen internum Pietistarum.

Aliud principium interpretationis biblicae statuerunt Quakeriani et Pietistae, quod, cum sana mente praedito nemini arrideat, paucis expediemus. Volunt nimirum, quemlibet Christianum intus in animo immediate a Deo instrui de vero sensu Scripturae, hancque divinam docendi vim lumen internum appellant. Quo posito nullum amplius studium biblicum requireretur.

Verum haec assertio a. innititur sinistrae Scripturae interpretationi; nam provocant ad I. Joann. II. 20 et 27, ubi primo loco legimus: „Sed vos unctionem (χρισμα) habetis a Sancto, et scitis omnia.“ At ex hoc textu minime evincitur, quod Pietistae volunt; nam χρισμα aut significat

gratiam supernaturalem, quae in sacramentis baptismi et confirmationis confertur, quaeque animam humanam ad veritates religionis fideliter conservandas disponit: aut χρισμα juxta alios indicat institutionem ab apostolis acceptam. In neutro casu probat assertum Pietistarum; nam fideles per gratiam in religione bene fundati, ab omni haeresi remotissimi, imo bene instructi esse possunt, quin Scripturam interpretari sciant.

b. Repugnat experientiae, quae testatur, defensores luminis interni in interpretatione biblica non magis convenire, quam alios; quod tamen secus fieri deberet, si tali illustratione divina, ut volunt, gauderent; Deus enim non est dissensionis et discordiae, sed concordiae auctor.

c. Fanaticis erroribus viam aperit; nam facile intelligitur, siquis hac opinione deceptus instructionem internam divinam exspectat, ac certo et diu exspectat, ex rationibus psychologicis fieri posse, ut ejus phantasia ita incalescat, ut demum propria phantasmata, somnia ac deliria tanquam vocem et revelationem Spiritus S. consideret; cujus rei exempla historia ecclesiastica nobis suppeditat.

§. 23.

Interpretatio psychologica et mythica.

Cum principio interpretationis Pietistarum similitudinem quandam habet interpretatio, ut dicitur, psychologica, quam Paulus Heidelbergensis in suo commentario adoptavit. Haec facta historica, quae in Evangeliis occurrunt, tanquam vera tueri videtur, sed additis aut immutatis adjunctis nonnisi e cerebro depromtis ita extenuat, ut miraculosa esse desinant, et in eventus mere naturales mutentur. Sed addere, demere, vim inferre verbis et sententiis non est interpretari.

Mythica interpretatio est, quae tollit veritatem historicam factorum extraordinariam V. et N. T., dum horum relationes considerat ut narrationes mythologicas aliarum nationum. Sed neque hoc est proprie interpretari. Utrum vero Bibliis tales mythi insint, quales inveniuntur in libris aetatis mythicae aliarum gentium, est quaestio, quae ex natura librorum, ac proin ex cultura scribentium potissimum dijudicari debet; quare in Sect. II. de cultura examinabitur.

§. 24.

Norma ad sensum exponendum.

Cum interpretis non tantum sit sensum indagare, sed etiam exponere, regula quoque suprema statuenda videtur, juxta quam expositio sensus inventi fieri debeat. Haec repetitur ex fine, in quem interpretatio suscipitur, et ex ipsa rei natura. Finis interpretationis, ut per se liquet, non est, quam ut ii, quibus explicatio fit, adjuventur in assequendo sensu loquentis; proin interpretatio clara et perspicua sit oportet, quatenus ipse textus et interpretationis species hoc concedit.

Natura rei autem postulat, ut sensus, qui verbis loquentis inest, et non alius eruatur, adeoque nec plures nec pauciores, nec tenuiores nec perfectiores notiones verbis subjiciantur, sed eaedem prorsus, quas auctor, cum iisdem conjunxit. Haec valent circa materiam orationis.

Verum nec forma praesertim in versione (aliter in paraphrasi) negligenda est; volumus enim non modo sensum loquentis assequi, sed ipsum quoque, in quantum fieri potest, quasi loquentem audire. Formae enim orationis inhaerent impressa subtilissima indicia, quibus saepe peculiarem loquentis indolem, patriam, aetatem etc. cognosci-

mus. Simul dictorum vis in forma orationis ita residet, ut illa immutata sensus ipse afficiatur, aut augeatur aut minuatur, e. g. si oratio directa mutetur in indirectam.

Quam ob rem interpres, qui ex asse officio suo satisfacere desiderat, prae oculis habeat regulam: Expositio sensus sit quidem clara et perspicua, at simul fidelis non tantum quoad materiam, sed etiam, in quantum linguarum indoles permittit, quoad formam.

§. 25.

Necessitas Hermeneuticae.

Cum Hermeneuticam necessariam declaramus, minime negamus, bonum forte animarum pastorem sine hac disciplina in systemate audita existere posse; imo ultro fatemur, fuisse plures, e. g. e Patribus Ecclesiae, qui ante redactas in systema interpretandi regulas egregie versati sint in hoc munere, cum contra alii regulis hermeneuticis imbuti gravissime peccent.

Attamen subtili adeo et penetrante ingenii acumine natura non multos donare solet, et si controversiae quaedam e sacris litteris ortae forte decidendae veniunt, certe suam habet utilitatem, ut §. 4 diximus, principia et regulas hermeneuticas in systemate audivisse.

Majoris momenti illud est: Heterodoxi, qui Biblia tanquam unicum fontem et normam dogmatum pro omnibus et singulis fidelibus considerant, et novatores, qui religionem christianam ex fontibus suis evertere student, saepe provocant ad libros sacros, et, dum textus ad sua praejudicia torquent, regulas hermeneuticas se observare jactitant.

Inde Catholicorum est ostendere, juxta sana principia hermeneutica sensum orthodoxum potius, quam heterodoxum

prodire. Nostrum est demonstrare, systema Catholicorum cum sacris libris N. F. rite aestimatis et ex fine suo spectatis ac intellectis non tantum non pugnare, sed evidenter et unice consentire. — Hoc vero sine studio hermeneutico praestari non posse per se liquet. Quare hoc nonnisi cum gravissimo damno religionis nostrae negligeretur.

§. 26.

Brevis historia studii hermeneutici, quatenus sensum investigat.

Antiquissimis Ecclesiae temporibus de Hermeneutica biblica nullum vestigium occurrit. Sicut ad auctores profanos interpretandos nullas regulas systematice ordinatas tradiderunt, ita etiam lectio S. Scripturae cujusvis ingenio, spiritus fervori ac eruditioni relicta fuit.

In coetibus religiosis Biblia A. F. a ministris religionis praelegebantur et explicabantur ad fines, quos Paulus II. Tim. III. 15—17 indicat. Scripta N. F. ab orthodoxis ad eos fines legebantur, ad quos praecipue erant destinata, ad cognoscendam divinam religionis originem, fundationem Ecclesiae, simulque ad aedificationem moralem. Religionis dogmata, quae apostoli definita oretenus potissimum ut depositum ecclesiis tradiderant, doctores christiani ex iisdem, in quantum fieri poterat, declararunt et illustrarunt: expressiones vero biblicas minus accuratas ad dogmata Ecclesiae ad regulam fidei explicarunt et conformarunt.

Nec Origines; utut de Bibliis optime meritus, nec S. Hieronymus, quamvis in studio biblico versatissimus, systema quoddam hermeneuticum composuit. Fatendum tamen est, primis Ecclesiae seculis sine systemate hermeneutica-

rum regularum Patres in Bibliis interpretandis egregie esse versatos, in quorum scriptis, praesertim S. Hieronymi et S. Chrysostomi fere omnia observata inveniuntur, quae ad studium biblicum spectant.

Primus, qui regulas hermeneuticas congessit, fuit sec. IV. S. Augustinus (in 4 lib. de doctrina christiana).

Isagoge ss. litterarum Adriani sec. V. tribuitur.

Sec. VI. eminent Institutiones ad divinas lectiones celeberrimi Aurelii Cassiodori (nat. 480, mort. 563), quae ad A. et N. T. referuntur.

Subsequentibus temporibus usque ad duodecimum seculum, ut omnes scientiae, sic etiam studium biblicum fere neglectum jacuit; cujus rei causa praecipua fuerunt incursiones et devastationes barbarorum. Insuper haereses continuo enascentes effecerunt, ut conamina theologorum ad polemicam praecipue converterentur. Quoad S. Scripturam antiquiores Patres sequuti scholia et glossas collegerunt ac catenas confecerunt. Quidam tamen hujus epochae viri non omni merito circa studium biblicum carebant, ut ven. Beda, Alcuinus, Rabanus Maurus, Lanfrancus, Walafridus Strabo et alii.

Sec. XII. revixerunt quidem, ut constat, scientiae; attamen adeo tenue fuit initium, ut studium biblicum parum lucis et culturae inde acciperet. Hoc seculo floruit Petrus Lombardus, qui commentarium in psalmos et alia conscripsit. Ob quatuor libros sententiarum, quibus compendium doctrinae theologicae et opinionum theologorum praesertim latinorum complexus est, magister sententiarum dictus, tantamque auctoritatem nactus est, ut sec. XIII. theologi ejus sententiis delectati sacras litteras neglexisse incusentur. Floruit tamen hoc seculo S. Thomas et Cardinalis Hugo a S. Caro non sine merito pro studio biblico.

Sec. XIV. duo viri in studio biblico maxime eminuerunt, scilicet Nicolaus de Lira et Paulus Burgensis. Primus edidit commentarios in S. Scripturam, quos **Postillas** nominavit. Opus hoc adeo coaevis placuit, ut inde Doctor **utilis** appellaretur, et de eo diceretur: Nisi Lira lirasset, totus mundus delirasset. Secundus annotationes ad Postillas Lirani adjecit. Isti duo viri Hebraicae et Graecae linguae periti sensum litteralem ubique fere deserto mystico sequuti sunt, ita ut etiam ab eruditis nostri temporis laudentur; sed paucos habuerunt sectatores.

§. 27.

Continuatur.

Melior lux studio biblico affulsit per inventam sec. XV. typographiam, per quam utriusque foederis textus originales in lucem venerunt et exiguo pretio haberi poterant. Inde studium criticum excitatum est, et praestantes interpretes surrexerunt, quod editio Complutensis et labores Erasmi satis probant. Quodsi in id tempus fatalis discordia Lutheri, Calvini et reliquorum non incidisset; studium biblicum cum majori religionis utilitate tractatum fuisset. Nam licet Protestantes S. Scripturam summo studio amplecti profiterentur; tamen a spiritu religionis Jesu Christi penitus aberrarunt; repudiato enim magisterio divinitus constituto et traditione ab apostolis commendata Bibliis N. F., i. e. scriptis occasionalibus apostolorum ac comitum eorum finem tribuerunt, de quo auctores sacri ipsi non cogitarunt, quique nec indoli librorum nec conditioni hominum respondet, atque ita divinam dispositionem Jesu Chr. in Ecclesia factam penitus inverterunt.

Porro principiis suis religiosis in aestu animorum constitutis sibi suisque necessitatem imposuerunt Scripturam

non aliter intelligendi, quam ut cum sententiis suis aliquando arreptis conveniret. Ex quo facile intelligitur, quam parum studium biblicum licet adjutum cognitione linguarum et quacunque eruditione religioni prodesse potuerit. Nihilominus ad theoriam aliquam interpretationis statuendam multum contulerant Protestantes; at ubique, ut diximus, quasi a priori sine examine praemisso Bibliis N. F. finis tribuitur, ad quem nec data nec apta sunt, quique divinae dispositioni repugnat.

Primus inter Protestantes fuit Matthias Flaccus, qui sec. XVI. edidit Clavim S. Scripturae. Hunc deinceps multi sequuti sunt parum aut nihil ultra ipsum progressi.

Ad idem seculum spectat Sixti Senensis Dominicani Bibliotheca sacra, Venetiis 1566, tomi 2. fol., quae diu inter Catholicos ut praecipuum opus pro studio biblico habebatur. Non minoris pretii est Apparatus ad Biblia sacra Bernardi Lamy, professoris theologiae in Gallia. Item dissertationes Eliae du Pin, professoris theologiae Parisiensis sub titulo: Dissert. prelimin. sur la Bible etc.

Magna diligentia composita est Introductio in sacram Scripturam V. et N. T. a Patre Hermanno Goldhagen, Moguntiae 1765 in 3 tom. Ad idem sec. XVIII. spectat Ernestii Institutio interpretis sacri. Tempore successerunt Sebastianus Seemüller, cujus Hermeneutica sacra prodiit Augustue Vindelicorum 1779; Christophorus Fischer, cujus Institutiones hermeneuticae N. T. in lucem venerunt Strasburgii 1788; Gregorius Mayr, cujus Institutio interpretis sacri apparuit Vindobonae 1789, et alii.

Licet vero horum opera multa bona contineant, tamen quidam ex eruditis modernis volunt, non debitam hucusque rationem habitam esse culturae loquentis, per quam opiniones in Oriente dominantes intelligunt. — Hujus rei quasi

prima elementa suppeditavit Mosheimius in Institutione sua historiae christianae. Ad eundem finem alii quoque materialia congesserunt, et Eichhornius historicam interpretationem, adeoque culturam loquentis contra modum tractandi Scripturam Kantianorum, de quo diximus §. 21., adhibuit, quod et alii fecerunt.

Verum, ut constat, antiquiores quoque interpretes nunquam non respexerunt ad culturam loquentium: contra facile observatur, modernorum nonnulli nimium conjecturis indulgent et praejudiciis ducuntur, dum statuunt, utrum et quatenus opiniones Orientis in scripta biblica influxerint, et quomodo inde explicanda sint. Alia severiori crisi indigent, quae eo magis necessaria est, cum alias campus spatiosus pateat audaciae interpretum proprium potius sensum inferendi sacris litteris, quam verum eruendi. Quare magna cautione utendum est, ne temerariis eruditorum opinionibus et judiciis decipiamur.

Etiam subsequis nostris temporibus fere singulis lustris opera in lucem venerunt, quae ad studium hermeneuticum spectant; talia sunt opera cl. Jahnii, Hermeneutica sacra Hermanni Janssens, Institutiones hermeneuticae Scripturae sacrae A. et N. T. Joann. Nep. Alher, et aliorum.

Verum nullo modo dici potest, interpretationem biblicam praesertim inter eos, qui non aliam auctoritatem venerantur nisi Bibliorum, ad certitudinem aut unitatem pervenisse; sed fatendum potius est, eruditos quoad corollaria interpretationis in diversissima abire, ita ut cum numero Hermeneuticarum etiam numerus diversarum interpretationum crescat, quod ex natura hominum, ex indole ac consilio Bibliorum male cognito facile explicatur, ut per decursum libri praecipue in Sect. IV. videbimus.

§. 28.

Studii hermeneutici historia, quatenus sensum exponit.

Altera facilior Hermeneuticae pars, quae circa expositionem sensus inventi versatur, fere diutius adhuc sine regulis mansit. In operibus S. Hieronymi et aliorum occurrunt quidem observationes non contemnendae de versionibus conficiendis; accuratius tamen haec res agitari caepit, cum Erasmus et postea Castalio versiones suas latinas edidissent, et alii viri docti praesertim Stunica, Lei et Beza contra illos insurgerent.

Hac controversiarum occasione regulae propositae sunt, quae vertentis laborem dirigerent, quasque Wyttenbach primus elementis suis hermeneuticis adjunxit, Ernestius novis praeceptis auxit, simulque de paraphrasibus et commentariis conficiendis regulas tradidit, quae tamen fere omnes ejus naturae sunt, ut sana ratio ex se illas depromere facile sciat; inde non tantum versiones, sed etiam paraphrases, e. g. Erasmi et commentarii antiquorum his regulis antiquiores sunt. Griesbachius postea tractationem de versionibus praesertim germanis inserendam curavit parti III. Repertorii sui litteraturae biblicae et orientalis. Nec minus bene de hac re disseruit Reichhard in tractatu de adornanda N. T. versione Lipsiae 1796, quos adhuc superasse creduntur Henslerus, Hetzelius et Keilius.

Quare non desunt nobis regulae systematice expressae, juxta quas versiones, paraphrases etc. conficiendae sint; nihilominus in tractatu de versionibus videbimus, modernorum versiones continere saepe errores magis essentiales, quam antiquorum. (Plura, quae ad historiam studii biblici spectant, legi possunt in prolegomenis ad institutiones hermeneuticas Script. sac. A. et N. T. etc. Joann. Nep. Alber. Pestini 1801 et 1818, et aliis.)

§. 29.

Divisio Hermeneuticae.

Ex iis, quae diximus, patet, Hermeneuticam quasi sua sponte in duas partes abire, quarum prima agit de sensu inveniendo, secunda de sensu invento rite exponendo.

Prior pars in quatuor Sectiones subdividitur, nempe de sensu inveniendo

a. per usum loquendi,

b. per culturam loquentis,

c. per nexum, et

d. consilium orationis.

Secunda pars per se in theoria facilis et brevis subdivisione vix indiget. Si tamen subdivisio placet, quatuor tractatus distingui possunt, scilicet:

a. de versionibus,

b. de paraphrasibus,

c. de scholiis et glossis, demum

d. de commentariis, quibus pauca de exercitiis hermeneuticis subjiciemus.

Licet in hac divisione proportio inter primae et secundae partis extensionem desideretur; tamen ob claritatem aliis praeferendam puto.

PRIMA PARS.



SECTIO I.
DE SENSU INVENIENDO PER USUM LOQUENDI.

Caput I.
DE USU LOQUENDI IN GENERE.

§. 30.

Nexus inter vocabula et notiones in origine arbitrarius est.

Omnibus notum est, nos loquendo aut scribendo communicare nobis invicem cogitationes nostras, quae communicatio fit, dum ea verba seu vocabula pronuntiamus aut scribimus, cum quibus illae notiones et cogitatus conjungi solent, quas in aliis excitare volumus. Vocabula tali modo ab aliis audita aut visa juxta legem associationis idearum illas notiones et cogitatus in mente audientis aut legentis excitant, quas loquens aut scribens provocare intendit, atque ita fit commercium cogitationum. Jam facile patet, hoc commercium inniti nexui, qui inter vocabula et notiones intercedit; quare ante omnia investigandum est, cujus naturae sit nexus iste.

Jam ex diversitate linguarum liquet, nexum hunc non esse naturalem, necessarium, sed initum per actus liberi

arbitrii ab inventoribus linguarum; si enim necessarius esset, omnes homines una eademque lingua uterentur.

Exceptionem facere videntur verba onomatopoetica, quae ipso sono sonum rei, quam indicant, imitantur, ut βροντάω, βους etc., et interjectiones, quae projiciuntur ab hominibus subito affectu abreptis. ut ah! etc.

Verum quod prima attinet, homini quidem naturale est, ut signum rei significandae attemperet, ita ut, in quantum fieri potest, ipso vocabuli sono rem indicandam imitetur: at haec ipsa imitatio dependet ab arbitrio imitantis, adeoque formatio originalis etiam vocabuli onomatopoetici est actus libertatis, in quem rationes non tantum objectivae sed etiam subjectivae influunt. Inde verba onomatopoetica de eadem re in diversis linguis diversa inveniuntur.

Praeterea pauca sunt objecta in natura, quae sonum distinguentem edunt, aut aliam distinctionem habent, quae sono imitante indicari potest; maxima notionum adeoque et verborum pars ad cognitiones discursivas spectat, quae per reflexionem ab arbitrio pendentem parantur. Majori jure excipiuntur interjectiones, quarum tamen numerus est admodum exiguus.

Porro speciem aliquam necessitatis in usu loquendi et illud praebet, quia homo nisum habet naturalem, quascunque perceptiones in animo verbis repraesentandi, et quia per indolem rationis quasi coactus videtur sequi similitudinis leges, ita ut similes conceptus et similes relationes similibus verborum formis exprimat.

Verum nisus ille naturalis non tollit libertatem, nec cogit hominem, ut perceptiones suas hoc et non alio vocabulo et modo manifestet. Similitudinis vero ratio, quam homo in usu loquendi sequitur, est vaga et multiplex, siquidem eadem res homines diversos diversimode afficit, et

ex varia parte spectari potest et solet, ubi proin liberum arbitrium non excluditur.

Sicut vocabuli inventio, ita ejusdem approbatio et receptio ab aliis adhuc apertius a libertate dependet. Ex his manifestum est, verba in origine recte considerari ut signa arbitraria aeque ac illa, quae honoris aut praemii causa statuuntur.

§. 31.

Receptus vero constanter servatur.

Licet nexus inter verba et notiones in origine arbitrarius sit; tamen initus semel constanter servandus est, ut eadem lingua utentes se mutuo intelligant. Etenim si quidam sibi licentiam sumerent a recepta vocabulorum significatione recedendi, aliasque cum iis notiones conjungendi, alter alterum non amplius intelligeret, commercium cogitationum tolleretur, ac confusio vere babylonica oriretur; a quo cum sana mente praediti necessario abhorreant, initus semel nexus inter vocabula et cogitatus constanter servari solet, nisi forte speciali quodam casu, ubi ab auctore ratio mutatae significationis reddi solet et debet, e. g. in doctrinis philosophicis.

§. 32.

Mutationes tamen contingunt in linguis.

Haec tamen constantia nexus inter vocabula et notiones non impedit, quominus variae mutationes in linguis contingant, et quidem praesertim in rudibus adhuc et incultis: at etiam in linguis per regulas grammaticas et libros excultis quaedam contingere solent.

Inprimis originaria radicis vis nonnunquam successu temporis rarior fit; imo in oblivionem transit, cum contra significationes secundariae et derivatae usitatissimae evadant.

Quaedam verba et integrae phrases extra usum veniunt, et verba obsoleta dicuntur: contra alia nova adoptantur.

Nonnunquam vocabulorum notio non quidem specifice, at quoad gradum perfectionis ita mutatur, ut vocabula longe aliud significent, quam olim indicarunt, ut astronomia modernorum et antiquorum; religio Christianorum et gentilium.

Novae nonnunquam significationes accedunt, praesertim per inventiones, disciplinas et doctrinas novas.

Alias vocabulorum notio non quidem quoad essentiam mutatur, sed tamen novam aliquam ideam annexam accipit, quam olim non habuit; sic τυραννος non semper crudelitatis notionem habebat annexam. Tale quid plerumque ob mutationem rerum aut veram aut imaginariam contingere solet. Nomen r e g i u s olim in honore fuit Romanis: at expulsis ob crudelitatem regibus execrabile illis factum est.

Hae et aliae mutationes linguarum non tollunt eam nexus constantiam inter verba et notiones respondentes, de qua diximus, sed tanquam exceptiones et restrictiones illius considerandae sunt, quae partim ex diversitate temporis, partim ex diversitate disciplinarum et doctrinarum etc. explicari debent. Linguarum proin studium per historiam illustrandum est.

§. 33.

Cognitio usus loquendi prima interpretationis conditio.

Nexus, qui juxta ea, quae diximus, inter voces et notiones constanter intercedit, usus loquendi nominatur, et consistit in continua consuetudine certas notiones certosque cogitatus certis vocabulis ac formulis exprimendi. Ex natura rerum quasi sua sponte in oculos incurrit, usum loquendi seu linguam ante omnia innotescere debere illi, qui

librum aliquem interpretari aggreditur, siquidem sine hac cognitione nulla interpretatio locum habere potest.

Reliqua quoque adminicula hermeneutica, uti est contextus, consuli non possunt, nisi prius loquendi usus saltem generatim cognitus fuerit, ad quem in speciali loco definiendum alia praesidia hermeneutica in subsidium vocari debent. Nec qualiscunque cognitio usus loquendi sufficit, sed potius accurata et perfecta requiritur; quod cum ex rei natura, tum ex eo liquet, quia saepe etymologia, nonnunquam etiam analogia sine illa in errores deducerent; nam significatio etymologica non raro differt ab ea, quam usus loquendi cum vocabulo aut phrasi conjunxit.

Porro nemo hominum quasi a priori ex sola cognitione radicis divinare potest, quasnam alias significationes gens quaedam cum significatione illius conjunxerit; hoc nonnisi ex testimoniis auctorum vocabulis utentium probari potest, qui testes idonei sunt pro usu loquendi. Ex cognita e. g. significatione radicis ἕω aut ἵημι nemo divinare poterit, quasnam significationes Graeci cum derivatis et compositis conjunxerint; hoc ex usu loquendi Graecorum discendum est.

Analogia quoque nonnunquam deseritur; vapulare et vaenire contra omnem analogiam cum exitu activo significationem passivam connectunt. Similia, ut constat, in omnibus linguis occurrunt. Idem valet hinc inde de analogis seu similibus formulis aut phrasibus. Inde analogae loquendi formulae per se solae nonnisi probabilem cognitionem praebent, nec nos ab errore certo immunes reddunt. Ex his simul cognoscimus, quantopere illi interpretes errent, qui contra usum loquendi etymologiam et analogiam sectantur.

Quare perfecta cognitio usus loquendi merito ut prima interpretationis conditio consideratur.

§. 34.

Etymologia et analogia non carent utilitate.

Licet nec etymologia nec analogia per se solae certum sensum doceant; tamen non levia commoda interpreti praestant. In primis etymologia, dum investigat primam vocabulorum significationem et modum, quo ad alia significanda translata sint; hoc ipso illustrat significationes derivatas easque clariores ac distinctas reddit. Cur e. g. *εφιεμαι* in forma passiva significet desidero, ex significatione radicis *εφιημι* declaratus. In verbis synonymis conjunctis, quae tamen perfecta synonyma non sunt, diversitas significationum a radicibus repetitur.

Syntaxis, quae videtur abnormis, ex significatione originali illustratur; cur invehi in aliquem dicatur pro increpare aliquem, ex significatione prima clarum est. Alias facit etymologia, ut allusiones ad significationem originalem perfecte percipiantur, uti sunt ארם (terrenus), יְהוָה etc. Item illustrat allegorias, in quas tropus resolutus est. Tale est notum illud Rom. XII. 20: „Carbones ignis congeres super caput ejus;" ex Prov. XXV. 22, quod ex tropo assare pro aliquem sibi propitium reddere ortum esse creditur.

Demum memoriam adjuvat, dum scilicet in significatione originali punctum firmum exhibet, ex quo reliquae significationes fluxerunt juxta leges similitudinis et cogitandi modum nationis, cujus est lingua. Ex his satis patet, etymologiam non sine magna utilitate inquiri. Quodsi forte dubium fuerit, quaenam significatio e pluribus sit originalis, sequentia notentur:

a. Significatio vocabuli onomatopoetica, si adest, certe originalis est, e. g. ruach sine dubio primo ventum indicabat; postea ad spiritum indicandum translatum est.

b. Significatio sensus feriens prior est altera, quae non cadit in sensus exteriores; homo enim sensualis sensualia prius cognoscit; inde καλος ante in significatione pulchri quam honesti adhibitum esse putandum est.

c. Significatio concreta antecedit abstractae, quia homo a notionibus concretis transit ad abstractas; ex quo liquet, quantopere errarint, qui notiones maxime generales tanquam primas verborum significationes statuerunt.

Cum etymologia conjungitur analogia, quae expressiones non sat claras ex similibus seu analogis loquendi formulis explicat. Haec similitudo in eadem lingua, aut in linguis cognatis locum habere potest, cujus rei exempla in Bibliis N. F. passim occurrunt. Cum homines in regula similitudinis rationem sequantur in usu loquendi, haec declaratio minime est spernenda, eritque eo probabilior, quo major est similitudo, et quo major est numerus formularum, quae eandem significationem praeseferunt. Quare si sensus certae loquendi formulae sat magno analogorum exemplorum numero nititur, tantam probabilitatem acquirit, quae a certitudine parum differt. Quodsi et contextus, consilium et materia substrata conspirent, etymologia et analogia defectum testimoniorum pro certo loquendi usu compensare videntur.

§. 35.

Usus loquendi linguae mortuae cognoscitur ex fontibus domesticis et dialectis.

Qua ratione in linguis vivis comparetur cognitio usus loquendi, omnibus notum est. Si vero lingua mortua fuerit, duplex casus distinguitur: aut fontes satis uberes ex ea aetate supersunt, qua adhuc vivebat lingua, cujus cognitionem nobis comparare volumus, ut in lingua latina et graeca

classica; aut non supersunt fontes satis uberes ex illa aetate, sed tantum e tempore, quo lingua quaedam extra usum communem posita viva esse jam cessaverat, uti in lingua hebraica. Quomodo in primo casu cognitio linguae mortuae comparetur, omnibus patet. Difficilior est quaestio, unde in secundo casu perfecta cognitio linguae mortuae hauriendae sit. Eruditi respondent: e fontibus domesticis, i. e. libris, qui a peritis linguae jam mortuae confecti sunt, et e dialectis. At quo ordine?

Nonnulli omnia deferunt dialectis ex lingua mortua ortis, hasque ut primarium cognitionis fontem statuunt: contra fontibus domesticis nonnisi subsidiarium usum concedunt.

Alii vero fontibus domesticis plus tribuunt, quam dialectis; quas quidem ad usum loquendi confirmandum et illustrandum optime inservire dicunt, non vero ad usum loquendi constituendum. Ad hunc finem potius ad auctores domesticos licet recentiores recurrendum esse volunt. Haec opinio satis fundata esse videtur; nam nulla lingua uno quasi temporis momento ut lumen ita exstinguitur, ut nulla ejus cognitio saltem apud cultiores conservetur, et ad posteros propagetur, praesertim si nationi, uti hebraicae, semper ad proprias leges vivere permissum fuit, quae cognitio linguae residuae in regula erit eo amplior et perfectior, quo viciniores fuerunt ejus periti aetati, in qua lingua quaedam adhuc vivebat.

Contra quaevis dialectus propria quaedam habet: vocabulis sumtis ex lingua matre novas non raro, ac plus minusve diversas significationes addit, demitque antiquas, ita ut ex significatione vocabuli in dialecto ad eandem prorsus significationem in lingua matre concludi non possit. Exempla nobis praebet lingua italica, quae cum multis vocabulis, e. g. p a r e n t i, i n t e n d e r e, ex lingua latina receptis

plus minusve diversas significationes conjungit. Similia locum habere in dialectis orientalibus ex studio bib. A. F. constat.

Repudiatis jam fontibus domesticis, aut saltem neglectis periculum erroris eo minus evitari potest, cum inter ipsas dialectos non inveniatur semper consensus praesertim in rarioribus expressionibus, ubi lux quaeritur. Inde conjecturis eruditorum locus datur, quo in casu teste experientia quivis fere conjectura sua id assequitur, quod praeconceptis opinionibus respondet.

Quod auctores fontium domesticorum adhuc magis commendat, et illud est, quod plerumque unius alteriusve dialecti cognatae periti fuerunt, eamque vernaculam habuerunt; sic e. g. auctores versionis syriacae, quae dicitur Pheschito, dialectum syriacam vernaculam habuerunt, quod ipsis in vertendis Bibliis A. F. non leve adjumentum praebuit.

Qui fontes domesticos neglectos volunt, ita cogitant, quia suspicantur, eruditos illius temporis, quo non amplius viva erat lingua quaedam, et quo fontes domestici scripti sunt, non satis fideliter versatos esse, et conjecturis indulsisse.

Haec suspicio non sine fundamento forte est in fontibus quoad aetatem admodum distantibus, uti sunt respectu linguae hebraicae scripta thalmudica; at circa fontes minus distantes, ut est respectu ejusdem Versio Alex., suspicio illa nequaquam fundata videtur. Contra eruditos in usu dialectorum conjecturis ut plurimum indulgere, patet ex diversis interpretationibus, quas ope dialectorum in iisdem locis eruunt.

Cum tamen ex altera parte negari nequeat, dialectos ad usum loquendi confirmandum, ad verba, phrases et loca difficiliora illustranda saepe multum conferre, recte inferimus, studium fontium domesticorum per dialectos esse

dilucidandum, adeoque utrumque studium conjungendum, ita tamen, ut utrique nec plus nec minus tribuatur, quam quod ipsi juxta rei naturam tribuendum est.

§. 36.

Media cognitionis linguae mortuae eorumque pretium.

Juxta ea, quae diximus, ante omnia audiatur traditio scholaris, siqua superest.

Ubi haec deficit, consulantur lexica, scholia et glossae, versiones et commentarii, qui ex illa aetate veniunt, qua quidem non amplius lingua ipsa in usu communi, sed tamen in scholis adhuc vivebat, illorumque pondus et usus eo major erit, quo magis antiquitate eminent, quo pleniores sunt, et quo minus suspicio adest, auctores proprio judicio fretos vocabulis et phrasibus antiquis significationes tribuisse, quin momenta historica has testantia ob oculos haberent.

Scholia et glossae illustrant loca ob contextum aut rerum naturam, vel verba ob antiquitatem aut raritatem obscura. Scholia et glossae, quae ex antiquissimis saepe auctoribus repetitae sunt, ob antiquitatem magna auctoritate gaudent: quoad ubertatem vero et fidem lexica anteponenda sunt, siquidem haec divitias linguae complectuntur et simul temporis rationem habent; cum contra scholia et glossae nonnisi breviter declarant, et nonnunquam ex observato contextu potius, quam ex perfectiore cognitione usus loquendi ortae sunt. Lexica ob rationem allatam etiam versionibus et commentariis praestant.

Quodsi versiones et commentarii inter se comparentur, isti illis sine controversia anteferendi sunt; etenim versiones simplici modo sensum textus originalis reddunt: com-

mentarii vero plura afferunt exempla, quibus sensum obscurum illustrant, dubium confirmant, loca parallela consulunt, lectiones variantes examinant etc., atque ita luculentiorem linguae cognitionem praebent. Accedit in versionibus antiquis etiam illud incommodum, quod prius dijudicandum est, utrum incorruptae ad nos pervenerint, et utrum non fortasse aliam lectionem sequantur.

Denique et antiqui Grammatici aliquam auctoritatem merentur, si nempe iis vivus linguae usus et major librorum copia praesto fuit, e quibus perfectiorem cognitionem haurire poterant. At quatenus cognitio haec abstractiorem quandam linguarum notitiam, aut praecipuam ingenii subtilitatem aut studium philosophicum et históricum requirit; antiqui Grammatici ab eruditis modernis scientiarum lumine magis illustratis facile superari possunt.

§. 37.

Attenta lectio librorum linguae mortuae cum studio etymologiae et analogiae.

Praeter media hucusque commemorata ad perfectiorem cognitionem usus loquendi in linguis mortuis plurimum confert frequens et attenta lectio librorum in iisdem linguis scriptorum, quo tempore adhuc vivebant, et cum lectione conjunctae reflexiones et observationes. Nec medium hoc involvit circulum vitiosum, licet hi libri ipsi sint, quorum explicatio quaeritur. Nam si aliquando potior linguae pars historice cognita fuerit, talis lectio cognitionem usus loquendi non parum promovet, quia expressiones obscurae nonnunquam illustrantur per clariores alio loco occurrentes, aut per alium orationis contextum, ubi sensus expressionis magis definitur per materiam substratam, per rerum natu-

ram, per observatum cogitandi, sentiendi et loquendi modum auctori proprium etc.

Tali lectione observantur et variae significationes, quas eadem verba pro diversitate materiae substratae habent, ad quod passim attendendum est. Si consideramus loca A. F., ubi in variis Theophaniis occurrit מַלְאַךְ יְהוָה αγγελος Κυριου (juxta Vers. Alex.) aut simpliciter Angelus, ut sunt Genes. XVI. 7—13, XXI. 17—19, XXII. 11—18, XXVIII. 13, XXXI. 11, XLVIII. 15, 16; Exod. III. 2 collat. cum Act. VII. 30—38; item Exod. XIII. 21, 22, XIV. 19—24, XIX. 9 etc.; haec expressio aut jam habet significationem Jehovae apparentis, se manifestantis, adeoque Theophaniae, aut saltem tam affinem, ut mirandum non sit, si Malach. αγγελος in significatione Jehovae apparentis seu Theophaniae postea ab Orientalibus sumtus sit, ubi de apparitionibus divinis sermo est, (uti patet ex Introduct. generali in libros A. F. germanica §. 45 pag. 187 cel. Jahnii), quod certe magis verisimile est, quam, ut modernorum nonnulli volunt, Judaeos posteriores erubuisse Deo ipsi tribuere apparitiones.

v. Hengstenberg 1, 235

Eadem expressio etiam in N. F. in eadem significatione mihi occurrere videtur, non tantum in loco citato Act. VII. 30—38, sed etiam alibi. Inde Act. VII. 53, ὁιτινες ελαβετε τον νομον εις διαταγας των αγγελων, interpretarer: Accepistis legem per dispositiones Theophaniarum, i. e. per dispositiones, quas fecit Jehova in apparitionibus suis. Cum hoc convenit Gal. III. 19, νομος .... διαταγεις δι' αγγελων, lex disposita, ordinata per Theophanias. Cum his comparari potest Hebr. II. 2. Ει γαρ ὁ δι' αγγελων λαληθεις λογος εγενε το βεβαιὸς etc., et Hebr. XIII. 2, Δια ταυτης γαρ ελαθον τινες ξεινισαντες αγγελους, per quod certe alluditur ad Genes. XVIII. et XIX., ubi aderat Jehova ipse.

Quare I. Tim. III. 16, ubi Paulus in compendio dogmatico de Christo dicit: ωφϑη αγγελοις, pro dativo instrumenti sumendum et interpretandum putarem, apparuit Theophaniis, i. e. est Jehova, qui patribus apparuit, — non tantum, licet eundem fere sensum praeberet: apparuit ministerio angelorum usus.

Praeterea cum tali lectione conjungendum est studium etymologiae et analogiae non solum in eadem lingua, sed etiam in dialectis cognatis, quod qualia commoda interpreti praebeat, partim ex antecedentibus, partim aliunde constat. Sic cel. Jahnius αφανιζουσι Matth. VI. 16, et αφανισϑητε Act. XIII. 41 sumtum ex Habacuc I. 5 (juxta Vers. Alex.) illustravit per Hebraicum תָּמַהּ, quod colorem perdere, inde pallescere et obstupefieri significat, ita ut pro utroque loco sensus contextui conveniens intelligatur. (Introductio in lib. A. F. germanica gen. pag. 299.)

§. 38.

Observationes Ernestii.

Quamvis jam plura de iis diximus, quae in linguas influunt, tamen non carebit utilitate afferre adhuc fere per modum recapitulationis observationes Ernestii, in quibus enumerat ea, per quae usus loquendi cujusvis linguae determinatur. Sunt sequentia:

I. Tempus; nam significationes vocabulorum et phrasium, ut jam audivimus, successu temporis nonnunquam plus minusve variant, ita ut interpres ab identitate vocabuli diverso tempore adhibiti non semper ad identitatem significationis concludere possit; e. g. אִי et אִיִּים tempore Mosis significat oras maritimas maris mediterranei, imo et sedes filiorum Japhet in Asia occidentali et Europa. Postea

eadem vox adhibita occurrit pro quacunque regione remota, denique etiam pro insula. Esther X. 1. Cum Biblia A. F. per 12 secula scripta sint, mirum non est, plures hujusmodi diversitates inveniri, licet res Orientis mutationibus minus obnoxiae sint, quam Occidentis.

2. Regio et locus; inde eadem lingua in diversis regionibus non tantum in modo pronuntiandi, sed etiam in nonnullis vocibus et vocum significationibus variat, ex quo provincialismi oriuntur. Hebraei juxta librum Judic. XII. 7 jam antiquissimis temporibus suos diversos pronuntiandi modos habuerunt, quia Ephraimitae per pronuntiationem vocabuli Schibboleth dignoscebantur. Aetate J. Ch. Galilaeis quoque peculiaris fuit loquendi modus, quo indicio cognitus est Petrus, Matth. XXVI. 73. *Νομος* nonnisi in Aegypto districtum regionis indicavit.

3. Religio, sectae et disciplinae, quae omnes habent in quibusdam proprias expressiones et expressionum significationes, sic מִנְחָה in lingua communi denotat donum: at in lingua cultus Levitici sacrificium ex farina confectum seu fertum. *Χειρας επιτιϑεναι* est christiana loquendi formula, I. Tim. V. 22. *Παλιγγενεσια* Graecis est physica, Christianis moralis immutatio in melius, Tit. III. 5. Systemata philosophica, ut constat, proprias habent terminologias.

4. Reipublicae civilis et ecclesiasticae forma, a qua non tantum vocabula, sed etiam integrae phrases originem trahunt; *πρεσβυτερος* ad Christianos transiit ex forma reip. hebraicae, in qua זָקֵן (zaken), cui respondet *πρεσβυτερος*, assessorem synedrii, ac praesidem tribus et familiae indicabat. *Βασιλειον ιερατευμα*, I. Pet. II. 9, phrasis desumta a sacerdotibus Deo praecipue acceptis. Item *ϑυσια ζωσα*, Rom. XII. 1.

5. Sermo vitae communis, quod praesertim locum habet apud auctores N. F., qui vulgari potius stilo, quam ad

ἀκρίβειαν scholae composito utuntur, uti S. Chrysostomus Homil. IX. in epist. ad Philipp. de Paulo testatur, qui tamen fuit unus ex eruditis. Auctores sacri non habebant aliam intentionem, qaam ut intelligerentur ab iis, quibus scripserunt. Ut eorum scripta occasionalia fierent norma dogmatum per secula, certe non intenderunt.

6. Mores, consuetudines, instituta etc., unde Archaeologiae necessitas pro interprete cognoscitur.

His Ernestii observationibus additur ab eruditis: usum loquendi aliquatenus determinari ab ipso scriptore, qui pro diverso culturae gradu ac diversis ingenii dotibus in usu loquendi aetatis suae nonnihil variat, et quaedam sibi propria habet. Stilus Pauli a stilo Joannis differt. Qui scribunt stilo eleganti, sublimi, sententioso, usurpant voces et notiones rariores, ut sunt plerique prophetae et poetae hebraici. Inde historiam et characterem auctoris nosse prodest interpreti.

Ex his omnibus colligimus, usum loquendi cujusvis linguae et in origine et in mutationibus suis niti factis historicis, quae nonnisi per testimonia aut directa aut indirecta cognosci possunt.

Caput II.

DE USU LOQUENDI BIBLICO IN SPECIE.

§. 39.

Licet Catholicis Biblia legere in linguis originalibus.

Ordo postularet, ut ante omnia quaestio solveretur utrum Catholicis S. Scripturam in linguis originalibus legere liceat, postquam, ut constat, Concilium Trid. Sess. IV. versionem nostram vulgatam a u t h e n t i c a m declaravit. Verum

cum haec quaestio in Introductione in libros A. F. a cl. Ackermann §. 65 ita soluta sit, ut nihil addendum videatur; eo magis a materia hac tractanda abstinemus, cum tota controversia nostris temporibus ut composita spectari potest.

Licet ergo **Catholicis adire fontes Bibliorum, de quibus Concilium nullam mentionem fecit; nec his, sed tantum reliquis versionibus latinis, quae illo tempore circumferebantur, Vulgatam anteposuit, et ut in usu ecclesiastico retineretur, decrevit. Nec expressio a u t h e n t i c a e mente Patrum ita intelligenda est, ac si Vulgata omnibus naevis careret, sed ita, ut nemo eam ut nihil probantem rejicere audeat.**

Sapiens hoc et pro illis temporibus necessarium decretum inde enatum est, quia persuasum erat Patribus, nullo eam (quatenus est versio), defoedatam esse errore tam essentiali, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi possit, quae loco citato fusius exponuntur.

§. 40.

De linguis Bibliorum.

Quibus linguis libri A. F. conscripti sint, constat e laudata Introductione Ackermannii. Etiam indoles linguae hebraicae, in qna maxima pars Bibliorum A. F. exarata est, et alia, quae huc spectant, e studio biblico A. F. innotescunt.

Biblia N. F. graece composita sunt, excepto Evangelio Matthaei, et, ut nonnulli volunt, epistola ad Hebr. At cum nullum exemplar hebraicum usque ad nos pervenit, sed versio tantum graeca, haec ipsa lingua tanquam lingua totius N. F. consideranda est. Hanc opinionem de lingua originali N. T. eruditi merito passim tuentur antiquorum testimoniis innixi,

nec Harduini nec Baronii et Wahlii assertionibus commoti sunt, qui levibus quibusdam conjecturis potius, quam argumentis historicis ducti a communi opinione discesserunt.

Nostris quoque temporibus certus Pfankuch in dissertatione quadam, quam volumini 8. Bibliothecae orientalis et biblicae Eichhornianae inseruit, demonstrare tentavit, aetate Jesu Chr. Palaestinensibus ipsisque apostolis linguam graecam incognitam fuisse. At ejus argumenta non plus valent, quam conjecturae antecedentium; inde singularem refutationem, quae in Arigleri Hermeneutica §. 34 pag. 74 habetur, vix merentur.

Juvat vero in mentem revocare praecipua facta historica, ob quae lingua graeca aevo apostolico in Oriente ac etiam in Palaestina in communi usu fuit.

Alexander M. anno 334. ante Chr. natum cum exercitu graeco in Asiam trajecit, devictisque Persis jam anno 332 Hierosolymam venit, ac praeter Aegyptum Asiam usque in Indiam ita sibi subjecit, ut post pugnam ad Arbelam anno ante Chr. 331 initium magnae monarchiae graecae statuatur. Ex hoc tempore in Oriente Graeci imperitabant, unde eorum lingua semper magis magisque invaluit. Duo praesertim regna scilicet Ptolomaeorum in Aegyto et Seleucidarum in Syria floruerunt, quorum primum 27., alterum 64. anno ante Chr. penitus in Romanorum potestatem venit. Archaeol. Jahnii.

In bellis, quibus Aegypti Syriaeque reges graeci inter se mutuo conflixerunt, Palaestina plerumque belli theatrum praebuit, ut videri potest in Antiq. Jos. Flav. XVII. 13, et Bello Jud. II. 23. In ipso exercitu Alex. M. 8000 Judaeorum stipendia meruerunt. Integrae urbes, ut Gaza, Gadara, Hypos, Caesarea etc., quoad maximam partem a Graecis inhabitatae fuerunt. Versio Alex. jam trecentis fere annis ante Chr. in Aegypto necessaria fuit, et Judaei palaestinenses teste historia ante tempus Macchabaeorum litteris

graecis adeo delectati sunt, ut multi earum amore ducti philosophiam et idololatrium Graecorum cultui veri Dei praeferrent. Inde ex II. Macch. VII. 24 seq. colligimus, linguam graecam praeter aramaicam jam 166. ante Chr. anno in usu Palaestinensium fuisse.

Ultimis temporibus magistratus et milites romani graecae linguae periti his regionibus praeerant. Magnus Graecorum erat numerus, qui ad sacra judaica accesserant, et Hellenistae ex provinciis graecis ad solennia festa Judaeorum singulis annis venerunt; imo Act. VI. 1 etiam Hierosolymis inveniuntur Hellenistae, qui lingua graeca vernacula utebantur.

His consideratis nemo mirabitur id, quod scriptores profani et ecclesiastici et tot antiquitatis monumenta testantur, aevo apostolico linguam graecam Palaestinensibus innotuisse. (Plura legi possunt in Hugii Introd. in libros N. F. part. II. §. 10, qui magna eruditione idem probat, licet conclusio, quam inde infert: Ergo Matth. scripsit graece, non probanda videatur).

Usum linguae graecae vel ad illiteratos penetrasse probat Act. XXII. 2, ubi tanquam res singularis spectatur a turba, quod Paulus eam alloqueretur lingua hebraica et non graeca.

§. 41.

Auctoribus N. F. in specie lingua graeca cognita fuit.

Licet supernaturale donum linguarum, quod apostoli acceperunt, huc non referamus; tamen rationes sufficientes praesto sunt, ex quibus patet, linguam graecam ipsis non fuisse incognitam. Nam muneris suscepti ratio poposcit, ut linguam intelligerent, sine qua munere praedicatorum Evangelii juxta voluntatem Christi fungi non potuissent.

Revera eos hujus linguae peritos fuisse colligimus ex Joann. XII. 20, ubi Ἑλληνες quidam Philippum adeunt petentes, ut cum Jesu loquendi ipsis facultas fieret; Philippus hoc manifestat Andreae, et uterque Domino annuntiat, cujus responsum Graecis retulisse videntur. Act. X. Petrus Cornelium Centurionem totamque ejus familiam ac familiares oratione habita convertisse legitur, quod lingua graeca factum esse nemo dubitat. Jam saltem nullibi tanquam singulare quid praedicatur in his apostolis cognitio linguae graecae; inde etiam reliquis apostolis illam cognitam fuisse credendum est.

Accedunt interna probabilitatis argumenta: Lucas et Paulus eruditionem aliquam in scientiis profanis nacti graecam linguam certe intelligebant, quod ex eorum praedicatione inter Graecos evidenter confirmatur, Act. XXI. 38 etc. Matthaeus tanquam τελωνης vi officii sui cognitione hujus linguae ut hebraicae carere non poterat. Marcus, si ignarus fuisset idiomatis graeci, Petri ἑρμενευτης electus non fuisset, in quacunque significatione hoc vocabulum sumatur. Joannes denique caeteris junior diu Ephesi et in vicinia commoratus linguam graecam certe didicisset, etsi hujus ignarus eo pervenisse poneretur. Quodsi hujus periti fuerunt, jam quasi a priori statuendum esset, eos in scriptis ad non-Hebraeos eadem usos esse, etiamsi non haberemus tot testimonia idem testantia, quae in Introductione audiemus. Quare in hoc capite

A. indolem,

B. fontes

linguae N. F. investigabimus, i. e. inquiremus, quomodo lingua N. T. comparata, et unde ejus cognitio haurienda sit.

A.

De indole linguae N. T.

§. 42.

Non est pure graeca.

Quamvis auctores sacros graece scripsisse defendamus, minime tamen asserimus, eos puro sermone graeco usos esse. Cum enim cognitionem hujus linguae fere tantum ex usu communi didicissent, nec disciplina quadam ad stilum excolendum (uno forte alterove excepto) fruiti essent; sine miraculo fieri non potuisset, ut idiomate graeco puro loquerentur aut scriberent.

Tale autem miraculum pro multis non modo absque fine fuisset, sed plane contra primarium sermonis scopum pugnasset, qui est, ut intelligamur ab iis, quibus scribimus. Jam vero difficilius aut omnino non Judaeo-christiani scripta apostolorum intellexissent, si alio idiomate graeco, quam quo hucusque in religione uti solebant, exarata fuissent. Ipsi Ethnico-christiani quoad magnam partem proselyti adeoque per lectionem Vers. Alex. et per conversationem cum Judaeis huic loquendi generi jam dudum assueverant.

Denique hujusmodi miraculum, quo auctoribus sacris lingua graeca classica suggesta fuisset, saltem in multis vix concipi potest, quia Classici de rebus religionis judaicae et christianae nihil scripserant. Si quis vero pro tempore posteriori ad dogmata definienda tale quid desiderat, bene perpendat, nobis non esse licitum Bibliis N. F. tribuere finem, quem ipsis non tribuerunt auctores sacri, nec invertere ordinem, quem divinus religionis Auctor ad conservandam religionis doctrinam in Ecclesia sua constituit.

Caeterum revera impurum esse sermonem Bibliorum N. F. res ipsa loquitur, et defensores puritatis illius, quales olim plures fuerunt, sequentibus evidenter refutantur. Hujus impuritatis fons triplex statui solet:

a. Multae expressiones ad indolem linguae hebraicae et dialectorum, quae ex illa originem trahunt, conformatae sunt.

b. Aliae quidem sunt graecae, deterioris tamen notae.

c. Quaedam denique aliunde immigrarunt.

§. 43.

Lingua N. F. hebraizat.

Loquendi modum in Bibliis N. F. hebraicum esse ad oculum patet, et quidem non tantum in vocabulis et significationibus, sed etiam in phrasibus ac toto orationis habitu. Nec tantum Aramaismi, ut nonnulli volunt, sed etiam Hebraismi stricte tales ibidem inveniuntur, qui sunt vocabula, significationes et phrases antiquae linguae hebraicae propriae; nam linguae hujus cognitionem et usum nondum penitus exstinctum fuisse tempore, quo lingua graeca hebraistica originem sumsit, probat liber Siracidis seu Jesu Sirachi filii, et liber I. Macchabaeorum, quorum primus certe intra annos 290—280. ante Chr., secundus vero circa annum 106. lingua hebraica exaratus est, ut constat ex Introduct. Ackermann.

Nec contrarium probat illud Philonis (II. lib. de vita Mosis): *Το παλαιον εγραφησαν όι νομοι γλοσσῃ χαλδαικῃ*; nam considerato contextu Philo intelligit per *γλωσσαν χαλδαικην* ipsam linguam antiquam hebraicam, repetens nomen a patria Abrahami Ur Chaldaeorum; quod etiam ex eo confirmatur, quia aetate Philonis lingua aramaica

appellari solebat γλρσσα ἑβραικη, ut ex multis Scripturae locis apparet.

Denique Hebraismi stricte tales a Bibliis N. F. eo minus abesse possunt, cum sint argumenti religiosi, in quo Judaei, etiam postquam lingua aramaica hebraicae successerat, antiquum loquendi modum in quibusdam retinuerunt; imo in lingua ecclesiastica Hebraismi usque ad nos pervenerunt.

Exempla Hebraismorum et Aramaismorum; et quidem

a. in expressionibus: *Αββα*, pater, nom. syr. Rom. VIII. 15. *Ακελδαμα*, ager sanguinis, syr. Act. I. 19. *Αλληλουια*, laudate Dominum, proprie hallelujah, ab הללו et יה contracto ex Jehova, Apoc. XIX. 1 et seq. *Αμην*, formula affirmandi omnibus nota, quae in Heb. significat fiat, Apoc. I. 7, vel etiam veritas, Apoc. III. 14, ὁ *Αμην*.

Βεελζεβουλ pro *Βεελζεβουβ*, cum mutatione litterae, quod contemtus causa factum esse putatur, est nomen idoli, et significat: dominus muscarum. At cl. Jahnius in Archaeologia germanica part. III. pag. 490. distinguit inter *Βεελζεβουβ* et *Βεελζεβουλ*, huncque declarat tanquam dominum regionis aethereae, qui malas hominem animas mittit ad corpora viventium obsidenda et vexanda. Alii aliter. Undecunque vero etymologia nominis derivetur, videmus Matth. XII. 24, principem daemoniorum illo vocabulo exprimi.

Γεεννα, gehenna, vox hebr. composita, quae significat: vallis Ben Hinnom, ubi olim Israelitae superstitione vicinarum gentium seducti filios suos idolo Molocho sacrificarunt; inde locus damnatorum ita dictus est, Matth. V. 22 etc.

Ελι, Ελι, λαμμα σαβαχθανι, Matth. XXVII. 45: initium psalmi XXI. juxta textum hebr.; nam illud re-

spice in me, quod habet Vulgata, additum est explicationis causa a Septuaginta (*προσχες μοι*).

Εφφαθα, hoc est: adaperire, exclude te Marc. VII. 34, ut Aramaismus aut ut Hebraismus considerari potest.

Μαραν αθα, syriaca loquendi formula, I. Cor. XVI. 22: Dominus venit, pro: veniet. Consideratur ex contextu tanquam formula anathematis quasi exprimens: Dominus veniat et puniat adversarios suos. Forte erat potius formula consolationis pro Christianis, qua sibi in memoriam vocarunt promissiones Domini, qualis occurrit Luc. XX. 16: „Veniet (Dominus vineae) et perdet colonos istos, et dabit vineam aliis."

Ραββι, vox syr. ex Hebr. רַב, multus fuit, item magister, sic dictus a multiplici doctrina. *Ρακα*, vox convitii syr., vacuus cerebro, ut plerique interpretantur.

Ὡσαννα, ab Hebr. הוֹשִׁיעָה־נָּא (hosianna) i. e. Salva quaeso (Deus!) Expressio emphatica sumta ex ps. CXVII. 24, et usitata in acclumationibus in festo tabernaculorum, ut constat ex Archaeologia. Ex quo explicatur Matth. XXI. 9.

Haec exempla sufficiant, cum praesertim pleraque in ipsis Bibliis explicentur.

§. 44.

Continuatur.

Sicut in expressionibus, ita etiam

b. in significationibus exempla pro lingua N. F. hebraizante passim occurrunt, talia sunt: *Αιων*, ut hebr. עוֹלָם non tantum seculum, sed etiam mundum significat, Hebr. I. 2. *Αποκρινεσθαι* non tantum respondere, sed etiam alloqui per Hebraismum significat. *Εν* non tantum in significat, ut in lingua graeca pura, sed etiam per etc.,

ut hebr. ב, cui respondet. Ειρηνη, pax, in lingua hebraizante salus significat; inde formula hebraizans: ειρηνη, ὑμιν, Luc. XXIV. 36. Κρισις judicium, in lingua hebraizante significat etiam doctrina, quod verum et justum est etc., ut hebr. מִשְׁפָּט, ex quo explicatur Matth. XII. 18—20 sumtum ex Isai. XLII. 1; „Ponam Spiritum meum super eum, et κρισιν (doctrinam, quod verum et justum est) gentibus annuntiabit."

Πληροω non tantum impleo, sed etiam per Hebraismum ratum habeo, confirmo, et per Chaldaismum ad perfectionem duco significat. Ῥημα non tantum verbum, sed etiam res etc. indicat, ut hebr. דָּבָר varias habet significationes. Ὑψοω, non tantum in altum tollo, sed etiam crucifigo indicat; inde dicta Domini Joann. VIII. 28, et XII. 32, 34 ante mortem nonnihil indeterminata manebant. Ὀφειλημα debitum, etiam peccatum significat in lingua hebraizante, ut constat ex oratione Domini Matth. VI. 12: αφες ἡμιν τα ωφειληματα etc.

c. Phrases hebraizantes sunt:

Animam suam invenire, i. e. se ipsum salvare, ut Matth. X. 39. Animam alterius quaerere, i. e. insidiari vitae alterius Matth. II. 20: „Quaerebant animam pueri."

Calicem bibere, i. e. tristem sortem perferre.

Mortem gustare, i. e. morte defungi.

Sicut mors, θανατος, saepe sumitur pro statu miseriae moralis ac spiritualis; sic vita ζωη, pro statu felici morali et spirituali. Inde etiam vivere, ζαν, indicat felicitatem spiritualem consequi. Luc. X. 28: „Hoc fac, et vives." Similiter et mori, αποθανειν, et occidere, αποκτεινειν, licet rarius, moraliter sumuntur, Rom. VII. 10, 11.

Ex antecentibus nota est phrasis: ardentes carbones in caput inimici congerere. Rom. XII. 20. Proverb. XXV. 22.

Angelus Satanae me colaphizat, II. Cor. XII. 7, varie

explicatur. At respiciendo ad contextum videtur Apostolus hac sua singulari phrasi innuere involuntarios concupiscentiae motus, quod cum dignitate Apostoli tam parum pugnat, ac illud I. Cor. IX. 27, et Rom. VII. 23: „Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae.“

Filius sapientiae, i. e. qui sapientia praesertim praeditus est, ut Matth. XI. 19, ita et filius παρακλησεως Act. IV. 36 etc.

d. Denique orationis habitus in Bibliis N. F. est orientalis. Graeci, ut constat, periodice incedunt, per varias particulas orationis membra conjungunt, indirecto plerumque sermone utuntur, et magna dictionis varietate et elegantia excellunt.

Auctores vero sacri N. F. plerumque membratim loquuntur, particularum inopia laborant, nulla vel exigua varietate orationem distinguunt, ac sermone plerumque directo utuntur, quod majorem dictioni vitam tribuit, quam indirecta loquendi ratio.

Ex his ad oculum patet, linguam N. F. esse hebraizantem. Errant tamen, qui tantam Hebraismorum copiam invenire volunt, ut modus loquendi semper hebraicus sit, et tantum vocabula graeca relicta sint. Juxta accuratas eruditorum observationes potior pars bene graeca censenda est, i. e. vocabula sumuntur in significationibus, in quibus ab ipsis Graecis sumi solent.

§. 45.

Rabbinismi.

Hebraismis merito adjungimus Rabbinismos, qui in scholis judaicis orti in Biblia quoque N. F. venerunt. Cum enim Judaei erectis scholis notiones suas magis excolerent,

non poterant amplius soli vitae communis sermoni acquiescere, sed ad abstractiores ideas, quas subtiliori meditatione consequuti fuerant, denotandas novos terminos invenire, aut inventis novas significationes addere cogebantur.

Erectionem scholarum cadere in tempus ante aevum apostolicum et aliunde constat, et illis locis N. F. probatur, in quibus doctores seu eruditi judaici variis sub nominibus occurrunt, veluti γραμματεῖς, νομοδιδάσκαλοι, Ραββι etc., quibus opponuntur ἀγράμματοι, ἰδιῶται, νήπιοι. Hujus generis loca sunt Luc. II. 45; Joann. VII. 15; Act. V. 34; item Act. XXII. 3. Luc. XI. 52 alludi videtur ad morem, qui in promotione ad gradum doctoratus observabatur, scilicet actione symbolica, traditione clavis doctores declarati sunt.

Non minus ex Thalmude constat, scholas Hillelis et Schammai 40 circiter annos ante aeram nostram floruisse, et quaestiones controversas de divortio, de resurrectione, de praecepto maximo jam ante Christum inter eruditos agitatas esse, quod cum Bibliis N. F. ad amussim convenit.

Termini jam, qui ab eruditis judaicis vel noviter inventi, vel nova significatione donati sunt, Rabbinismi dicuntur. Hos in scholis Judaeorum mansisse eo minus opinandum est, cum Paulus omni eruditione judaica imbutus fuit, et Jesus ipse non tantum cum rudi populo, sed etiam cum eruditis sermones miscuisse, quaestionesque scholasticas solvisse legitur; imo populus, qui totus quasi ex ore Rabbinorum pendebat, cultura rabbinica carere non poterat. Rabbinismorum exempla sunt:

Tradere claves, aperire et claudere, juxta Isai. XXII. 22. Ligare et solvere Matth. XVI. 19. Mandatum magnum pro maximo Matth. XXII. 36. Renasci, nova creatura; quas expressiones Rabbini jam de proselytis adhibuerunt. Solatium Israelis Luc. II. 25, Messias ejusque regnum.

Benedictus, $\varepsilon\upsilon\lambda o\gamma\eta\tau o\varsigma$, Marc. XIV. 61, quod vocabulum Rabbini in scholis substituisse creduntur nomini Jehovae, quod ex reverentia enuntiare vix ausi sunt. Nomen pastor, quod in A. F. de regibus in usu fuit, ad doctores legis a Rabbinis translatum fuit. Etiam ratio citandi in Bibliis N. F. non est alia, quam quae Rabbinis in usu fuit, ut Marc. II. 26, εν Αβιαθαρ, i. e. I. Sam. XXI—XXII. Rom. XI. 2 εν Ελια, i. e. III. Reg. XVII—XIX. Denique in scriptis Paulinis ratio argumentandi seu potius illustrandi rabbinica censetur.

§. 46.

Non tamen Arabismi stricte tales.

Etiam Arabismos in N. F. inveniri quidam, et inter hos praesertim Michaelis et Boltenius defenderunt. Si hac assertione id tantum vellent, dari in Bibliis N. F. voces et loquendi formulas, quae nonnisi ex libris arabicis sat illustrari possent; hoc non impugnandum videretur. Verum asserunt occurrere vocabula in significationibus, quae dialecto arabicae ita propriae sunt, ut in nullis libris, qui in aliis dialectis supersunt, eandem significationem habeant, adeoque intelligi non possint, nisi per comparationem cum lingua arabica.

Ad hoc probandum dicunt facile fieri potuisse, ut in paucis libris, qui de caeteris dialectis supersunt, non amplius omnes earum divitiae et significationes exstent: contra in arabicis libris, quorum sat magna copia et varietas est, easdem adhuc inveniri opinantur.

Alii tamen eruditi Arabismos stricte tales non admittendos esse rectius putant, non tantum quia lingua palaestinensis quam proxime ad syriacam accessit, quae ab arabica plus distat, nec commercium aliquod aetate apostolica

inter Palaestinenses et Arabes intercessisse legitur, sed praecipue quia exempla, quae afferunt Arabismorum defensores, ejus naturae sunt, ut refutent potius id, quod probare deberent. Nam partim carent ratione sufficiente, si eadem significatio ex aliis dialectis erui potest, aut in ipsa lingua graeca hebraistica occurrit, partim sensum praebent contextui vel historiae minus convenientem, partim leges justae comparationis transgrediuntur. Conferatur §. 60.

Donec ergo solidiora argumenta pro Arabismis stricte talibus afferuntur, nullos admittimus.

§. 47.

Expressiones graecae minus purae.

Lingua N. F. non tantum ideo impura censetur, quia in ea Hebraismi, de quibus diximus, occurrunt, sed etiam, quia illa puritate attica insignis non est, qua Classicorum opera excellunt. Inveniuntur in illa voces et formulae, quas in scriptoribus classicis frustra quaesiveris. Praeterea voces et formulae quidem antiquae, at in significationibus, in quibus ab auctoribus graecis aureae aetatis adhibitae non sunt.

Nec mirandum est, si talia in libris sacris inveniuntur, quorum auctores stili elegantiam minime curarunt, cum ipsi auctores graeci profani aetatis apostolicae a puritate classica descivissent, et lingua graeca generatim auream suam aetatem jam dudum reliquisset.

Graeci enim per Alexandrum M., uti constat, peregrinis Orientis regionibus illati multarum rerum et opinionum notitiam adepti sunt, quarum antea nec cognitionem nec nomina habuerunt. Eadem occasione ac aetate philosophi graeci speculationibus immersi novas meditationum suarum

materias nacti ad novas notiones delati sunt, ita ut novis quoque vocabulis loquendique formulis indigerent.

In hoc jam casu naturae rei consentaneam fuit, ut ad res peregrinas denotandas aut adhiberent vocabula peregrina more Graecorum inflexa, aut ad voces priores graecas forte ob similitudinem novas significationes adjicerent, aut novas loquendi formulas adoptarent.

Ad hoc ipsa necessitate compulsi mirandum non est, si nonnunquam ultra necessitatem progressi ad analogiam linguae populi, cum quo conversati sunt, sibi novas quasdam phrases efformarent, easque antiquis pure graecis saltem nonnunquam substituerent, ut Lucas XII. 58: *Δος ἐργασιαν* ad similitudinem latini: Da operam.

Porro a gente bellis assueta et populis barbaris immixta minime exspectandum est, ut nova vocabula novasque expressiones, quas invenit, ad elegantiam linguae classicae reducat. Idem fere de philosophis illius temporis valet, qui speculationibus immersi curam de elegantia linguae sibi dedecori esse existimabant.

Ex his facile intelligimus, cur a tempore Alexandri M. vocabula loquendique modi minus puri in linguam graecam venerint, qui a nonnullis Alexandrismi vocantur. Hi jam a lingua N. F. eo minus abesse poterant, cum cognitio idiomatis graeci praesertim a tempore Alexandri M. ad Orientales et Judaeos pervenerit, et versio *των* Septuaginta sub Ptolomaeis confecta graecam Judaeorum de rebus religionis loquendi rationem determinaverit, quae proin et in Biblia N. F. influxit.

. Exempla hujus generis sunt:

Γλωσσοκομον, marsupium, loco *βαλαντιον*, Joann. XII. 6.
Κραββατος, lectus humilior, Joann. V. 8—9.
Ἐξολοθρευομαι, pro *απολλυμι*, deleo, Act. III. 23.
Παραδειγματιζω, ignominiae expono, Matth. I. 20.

Κατανυσσομαι, animi dolore excrucior, Act. II. 27.
Ασθενεω, in significatione morali, Rom. V. 6.
Γαμος, in significatione convivii, Matth. XXII. 2—12.
Στρηνιαω, luxurior, Apoc. XVIII. 7 et 9 etc.

Talia, quae in scriptoribus ante Alexandrum M. non reperiuntur, Alexandrismis annumerantur.

§. 48.

Persismi, Cilicismi et Latinismi.

Ex §. 42. constat, praeter hebraicas et graecas expressiones minus puras etiam aliunde quaedam immigrasse. Huc referimus:

1. Vocabula persica, quorum pauca tantum in linguam graecam venerunt, licet Judaei diutius Persis subjecti, et postea quoque ultra seculum arcto vinculo cum iisdem conjuncti fuerint. Tale est *αγγαρευειν*, *μαγος*, *γαζα*, *μαργαριτης*, *μεγιστανης*, quibus Paulus Heidelbergensis etiam *γεεννα* annumerat.

2. Praeterea huc referendi videntur Cilicismi, quales epistolis Paulinis inesse testatur S. Hieron., qui ad Algas. Quaest. X. Opp. Tom. IV. ita scribit: „Multa sunt verba, quibus juxta morem urbis et provinciae suae familiarius Apostolus utitur, e quibus e. g. pauca ponenda sunt: Mihi autem parum est judicari ab humano die (I. Cor. IV. 3. ab humano judicio), et *ου κατεναρκησα ὑμων* (non molestus vobis fui, scilicet exigendis mihi necessariis, II. Cor. XII. 13) et *μηδεις ὑμας καταβραβευετω* (nemo vos decipiat proposito praemio privans, Coloss. II. 18) quibus et aliis verbis usque hodie utuntur Cilices.“ Hanc observationem, uti credunt eruditi, Hieronymus Origeni aut adhuc antiquiori grammatico debet, unde eo majus pondus habet.

Recentiores praeterea in classem Cilicismorum referunt, περικαθαρμα, purgamentum, εκκακειν despondere animum, ευδοκια in significatione votum, desiderium, καταργειν, abrogare, προσαγωγη, accessus, quae nonnisi in iis auctoribus obvia esse dicunt, qui aut e Cilicia, aut e finitima quadam provincia orti erant.

3. Plures vero inveniuntur Latinismi, quod nemo mirabitur, qui historiae gnarus meminerit, Graecos et Judaeos jam ante aetatem apostolicam in potestatem Romanorum redactos fuisse, et magistratus et milites romanos sibi impositos habuisse. Latinismorum exempla sunt: ασσαριον, obolus romanus, as, assis, δηναριον, numisma decem valens asses, κεντυριον, centurio, σπεκουλατωρ, spiculator, sic dictus a spiculo, quod gestabat, graece δορυφορος. Alii tamen fortasse rectius speculatorem a speculando dictum esse putant. Tales speculatores in confinibus ob incursiones repentinas hostiles habebantur. Marc. VI. 27. Item πραιτωριον, praetorium, Marc. XV. 16, et alibi saepius, σικαριος, sicarius etc.

Phrasium latinarum exempla sunt: το ικανον ποιησαι, satisfacere Marc. XV. 15: το ικανον λαμβανειν, satisfactionem seu sponsionem accipere, Act. XVII. 9; δος εργασιαν, da operam, Luc. XII. 58. Alia Latinismorum exempla, quae afferri solent ab eruditis, partim per se clara sunt linguae latinae peritis, partim ex idiomate graeco derivari possunt.

§. 49.

An lingua hebraeo-graeca bene dicatur dialectus hellenistica.

Perspecta jam indole linguae hebraeo-graecae attingenda videtur quaestio ab eruditis agitata: Utrum haec lingua dici mereatur dialectus hellenistica vel Alexandrina.

Quidam affirmant, alii negant. Primi: Dialectus, inquiunt, est lingua, quae ab ea, quam pro fundamento habet, peculiaritatibus quibusdam distinguitur; talis est lingua hebraeo-graeca respectu communis linguae graecae; ergo recte dicitur d i a l e c t u s.

Verum alii defendunt ad propriam dialectum requiri duo: a. ut populus, qui ea utitur, certis limitibus contineatur; b. ut diversitas sit in vocibus separatis etiam, non tantum in modo eas conjungendi, sicut Dores dicebant φαμα loco φημη, τυ loco συ, μωσα loco μουση etc. Horum neutrum in linguam hebraeo-graecam cadit; nam, pergunt, non fuit regio, nec civitas, quae exclusive h e l l e n i s t i c a nominaretur; et in vocibus separatis proprium characterem a lingua graeca communi non habet, sed tantum nova constructionis forma et compositionis genere distinguitur. His de causis appellatio d i a l e c t u s h e l l e n i s t i c a rejicitur.

Quid jam de hac lite sentiendum? Si vocabulum dialectus in omni rigore sumitur, haec appellatio ob secundam potissimum causam minus conveniens existimatur: at cum fere omnia vocabula in sensu latiori et strictiori sumi soleant, non repugnandum esse videtur, si hebraeo-graeca loquendi ratio dialectus hellenistica vel Alexandrina appellatur. Adjectivum h e l l e n i s t i c a venit ab ἑλληνιστής, quod denotat Judaeum graeca lingua utentem ut vernaculâ; et alterum A l e x a n d r i n a a Vers. Alex., quae Alexandriae confecta huic loquendi rationi quasi originem et nomen dedit.

§. 50.

Usus loquendi religioni christianae proprius.

Ex hucusque dictis intelligimus quidem indolem linguae hebraeo-graecae, sicut aevo apostolico apud Judaeos in usu

fuit; sed nondum perfecte cognoscimus linguam N. F.; religio enim christiana partim novas notitias attulit, partim priores ad majorem perfectionem perduxit, partim nova officia, actus religiosos etc. professoribus suis imposuit.

Quare fieri non potuit, quin primi Christiani adeoque etiam scriptores aut novis vocabulis et phrasibus uterentur, aut priores novo sensu donarent, quae nec ex usu loquendi graeco, neque hebraistico disci possunt. Talia sunt: *ἡμερα κυριακη*, Apoc. I. 10; *πισις, πισος, πισευειν* in significatione christiana; *ανθρωπος εν Χρισῳ*, II. Cor. XII. 3; *σωμα του Χρισου, Χρισον ενδυσασθαι* Gal. III. 27; *χειρας επιτιθεσθαι* Tim. V. 22; *γαμηθηναι εν Κυριῳ*, I. Cor. VII. 39 etc. Ut proin linguam Bibliorum N. F. perfecte cognoscamus, ad triplicem loquendi usum, qui ibidem occurrit, attendamus necesse est, et fontes nobis indicandi sunt, e quibus ejus cognitio haurienda sit, I. quatenus graecus, II. quatenus hebraisticus, III. quatenus christianus est.

B.

De fontibus cognitionis linguae N. F.

I.

De fontibus cognitionis linguae N. F. quatenus est graeca.

§. 51.

Ad cognoscendam linguam N. F., quatenus est graeca, ut ex rei natura patet, inserviunt scriptores graeci in genere, in specie vero illi, qui cum aetati tum patriae auctorum sacrorum vicini fuerunt, et simplici ac humili scribendi ratione utuntur.

Huc referuntur: Polybius, qui ducentis circiter annis ante Christum floruit.

Diodorus Siculus, qui Julio Caesari coaevus fuit.

Arrianus, qui Hadriani tempore vixit, adeoque sec. I. exeunte et II. ineunte.

Herodianus, qui stili simplicitate eminet, et ab anno 170—240. floruit.

Omnibus praeferendi sunt Philo et Josephus Flav., qui tum quoad aetatem auctoribus sacris proximi, tum etiam domestici fuerunt, ita ut eorum scripta non tantum ob linguam, qua utuntur, sed etiam ob materias, quas tractant, interpretibus N. F. commendari mereantur. Plures declarationes verborum et rerum nonnisi e libris Philonis et Josephi Flav. haustae sunt; e. g. Matth. V. 21: „Qui autem occiderit, reus erit judicii (τῃ κρισει)." Jure quaeritur hoc loco, quid sit hoc judicium, κρισις. Rem declarat Josephus (Antiq. I. IV. 18) juxta quem erat magistratus e septem personis compositus, qui in quavis urbe provinciali de causis minoribus judicabat. Hoc cognito facile intelligimus gradationem in sermone Domini.

Ex (Antiq. I. VII. 5) videmus, quid fuerit εφημερια Luc. I. 6, scilicet ea sacerdotum classis, quae per hebdomadem templi ministerio fungebatur. Joann. IV. 46 occurrit βασιλικος, cui in Vulgata respondet regulus etymologice. At juxta plura loca Josephi non indicat nisi hominem aulicum; unde omnis difficultas evanescit.

Vox εγκαινια, quae ab auctoribus profanis de quocunque festo memoriae rei cujusdam dicato adhibetur, a Judaeis, ut docet Philo, usurpata fuit de festo dedicationis, quod in 25. Kislev incidit, qui mensis incepit cum novilunio Decembris. Inde lucem capit Joann. X. 22: „Hiems erat." Idem Philo in vita Mosis docet, vocabulum νηςεια (jejunium) adhibitum fuisse de festo expiationis, quod in

decimum Tischri incidit, quo tempore navigatio in mari mediterraneo propter turbines saepe enascentes periculosa fuit. Ex hoc illustratur locus Act. XXVII. 9, qui sine hac cognitione ridiculus videri possit. Ex his satis liquet utilitas horum auctorum pro interprete biblico. Plura constant ex Archaeologia.

II.

De fontibus cognitionis linguae N. F. quatenus et hebraistica.

§. 52.

Cognitionis linguae hebraisticae, quae in libris N. F. invenitur, sine controversia primarius fons est Versio των 70; haec enim Alexandriae confecta, et a Palaestinensibus ut ab aegyptiacis Judaeis diligenter lecta eandem prorsus loquendi rationem refert, ac libri N. F.; imo tanquam mater linguae hellenisticae spectari potest, quam Judaei sequentium temporum ceu sacrum exemplar venerati sunt, a quo fere nunquam nec in vitiis discesserunt, et cujus analogiam etiam in novis scriptis religiosis sequendam esse putarunt, ita ut ea, quae ex hac Vers. innotescunt, certissima merito habeantur.

Ad eundem finem aliquid conferunt aliae, quae habentur, versiones graecae Bibliorum; item libri V. T. graece scripti, et apocrypha utriusque F. Demum versiones antiquae aliarum linguarum et interpretationes Patrum quorundam, quibus jungunt nonnulli comparationes expressionum N. T. cum linguis orientalibus. De his singulatim agemus.

§. 53.

Indoles Vers. Alex.

Quae spectant ad originem hujus versionis, ex Introductione in libros A. F. nota pono: de indole ejusdem paucas eruditorum observationes subjicio.

a. Interpretes Alexandrini saepe hebraica vertunt etymologice vocibus graecis ita, ut quot et quales significationes habet verbum hebraicum, tot et tales tribuant etiam graeco, licet in lingua graeca pura eosdem non habeat. בְּרִית redditur per διαϑηκη. At Hebraeis berith non tantum fœdus, sed etiam promissio, beneficium, interdum promissionis conditio etc. est. Has omnes significationes tribuunt vocabulo graeco διαϑηκη. Eodem modo תּוֹרָה redditur in graeco per νομος, quod significat. At thora ab Hebraeis non tantum de lege, sed etiam de universa religione adhibetur. In eadem extensione νομος sumitur.

b. Interdum tamen versores Alexandrini vocabula et formulas hebraicas ad sensum bene graece exprimunt. תָּמִים significat perfecti, proxima versio fuisset τελειοι. At per idem thamim Hebraei etiam probos, virtuti deditos exprimunt. Et revera huic vocabulo nonnunquam bene respondet δικαιος, ευλαβης. אִישׁ אֱמֶת ad verbum ανηρ αληϑης vel αληϑειας reddendum fuisset. At emeth non tantum significat veritas, sed etiam probitas, integritas. Inde redditur etiam per ανηρ αγαϑος. Idem tamen Hebraismus in N. F. saepe occurrit, ubi αλεϑεια non tantum veritatem, sed etiam probitatem, imo integram religionem christianam ab erroribus immunem indicat. Inde illustrantur expressiones ποιειν την αληϑειαν, περιπατειν εν τη αληϑεια, μενειν εν τη αληϑεια.

c. Vertitur nonnunquam hebraicum ita, ut neque ex hebraico, neque ex graeco appareat, cur hoc, quod adhibetur, vocabulo reddatur. פָּתַר significat interpretatus est. Graecum ἑρμενευειν huic accurate responderet. At Genes. XL., ubi de interpretatione somniorum agitur, invenitur συγκρινειν, quod significat comparare, adeoque minus bene phathar exprimit. Ignoratur, cur non consuetum graecis ἑρμενευειν adhibitum sit. (Suspicor tamen hoc factum esse ex aversatione erga mythologiam gentilium, unde ἑρμενευειν derivatum est.)

Idem συγκρινειν in eadem significatione occurrit I. Cor. II. 13 juxta Vulg.: „Spiritualibus spiritualia comparantes," συγκρινοντες, i. e. perfectioribus Christianis perfectiores doctrinas explicantes, tradentes.

Causae, ob quas nonnunquam insolitae interpretationes in V. A. occurrant, ab eruditis variae afferuntur: forte exprimunt vim originariam vocabulorum hebraicorum, quam ignoramus; inde nec intelligimus, cur ita vertatur: quaedam expressiones sunt forte provincialismi aut nationalismi; non enim dubitandum est, fuisse jam aliquem in rebus religiosis graece loquendi usum inter Judaeos, antequam V. A. confecta est, quem usum versores penitus ex oculis dimittere non poterant. Nonnunquam certe aliam lectionem, ac nunc habemus, sequuti sunt, uti Habac. I. 5, quod citat Paulus Act. XIII. 41. Interdum hebraicum non sat bene intellexerunt; constat enim non omnes versores in vertendo solide versatos esse. Nonnunquam, ut eruditi putant, vertendo aetatis suae opiniones expresserunt. Huc referunt illud Deut. XXXII. 8: *Εsησε ὁρια εϑνων κατ' αριϑμον αγγελων Θεου* loco *υἱων Ισραηλ*, uti habet nunc textus hebraicus בְּנֵי יִשְׂרָאֵל. Hanc versionem ex opinione ortam esse putant, singulis populis praeesse angelos, quae

declaratio mihi non satisfacit, licet meliorem nesciam. Forte versor legebat filii Jehovae loco filii Israel. — Caeterum sufficit nosse, in quanam significatione ex Vers. A. in Biblia N. F. transierint vocabula et loquendi formulae.

§. 54.

Utilitas V. Alex.

Ex dictis facile colligitur, quod aliunde quoque constat, Vers. A. comparatam cum textu originali pro studio biblico non contemnenda emolumenta praebere, quae ad duo praesertim reducuntur:

a. Nonnunquam vocabula et expressiones graecae per hebraica illustrantur, ita ut etiam expressiones N. F. interdum aliquid lucis capiant, quae alias plus minusve in obscuro mansissent. Saepius recurrens formula επι το αυτο illustratur hebr. יַחְדָּו (jachdav), quod hac formula vertitur, e. g. Jerem. XLVI. 12. επι το αυτο επεσαν αμφοτεροι: alias redditur per ἅμα (simul), ut Genes. XIII. 6.

b. Vice versa expressiones hebraicae nonnunquam declarantur graecis, quia accidit, ut quaedam in textu originali obscura inveniantur, clara vero in graeco: aut ut quae in uno loco versionis ad verbum ac proin obscure redduntur, clare et perspicue in alio exprimantur. Ignoraremus, quales arbores sint אַלּוֹן et אֵלָה, nisi versiones nos docerent, primam esse terebinthum, alterum quercum. Bene tamen considerandum est, an versor nostram lectionem ob oculos habuerit, et an versio incorrupta ad nos pervenerit, quia secus fieret, ut in errorem delaberemur.

§. 55.

Auctoritas V. Alex.

Ad auctoritatem huic versioni conciliandam plura concurrerunt, inprimis narratio de miraculosa ejus origine, quae probabilius a multis vera credebatur, licet Criticam non sustineat; et ejus usus in synagogis, quae cum proselytis lingua graeca usae sunt, et in conventibus religiosis Christianorum, qui hebraicae linguae ignari Biblia A. F. nonnisi in versione hac legere poterant. Inde mirandum non est, si auctores sacri citata A. F. ex eadem versione saepius sumserunt, atque hoc ipso ei non levem auctoritatem conciliarunt.

Magis mirum videtur, quod auctores sacri etiam in iis locis ex V. Alex. nonnunquam citent, ubi cum textu hebraico non perfecte convenit, et generatim in citatis suis non ea ακριβεια utantur, quae nostris temporibus invaluit. Hujus rei rationes sunt, quia auctores sacri nostro citandi modo non assueti ad sensum potius quam ad litteram attenderunt, ac memoriter tantum citarunt saepe illustrandi potius quam demonstrandi causa juxta morem et gustum Judaeorum illius temporis; inde verba nonnihil argumento suo accommodarunt, nec alium nisi proximum finem sibi praefixum habebant, ex quo proin judicanda sunt. Denique dissensus iste saepe est exigui momenti, et non tam in rebus quam verbis consistit; imo quandoque re maturius considerata ne in verbis quidem. Talis est locus ad Hebr. III. 8, ubi citatur psalm. XCIV. 8: „Nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione (εν τῳ παραπικρασμῳ) secundum diem tentationis (του πειρασμου).“ Si citatum hoc cum Exod. XVII. 7 confertur, patet, sermonem esse de locis deserti Arabiae, in quibus olim Israelitae ob aquae penuriam

rebelles se gesserunt et Dominum tentarunt, quae loca proin Meriba (*παραπικρασμος*) et Massa (*πειρασμος*) dicta sunt. Versor Alex. haec nomina, licet quasi propria, interpretatus est more Orientalium, qui etiam nomina propria vertunt, et auctor epistolae eandem versionem sequutus est; revera autem nullum est discrimen a textu hebraico.

Inde modestia suadet, ne judicium praecipitemus, si quando citata ab originali dissentire videntur.

§. 56.

Aliae versiones graecae.

Praeter Vers. Alex. ad linguam hebraisticam cognoscendam aliquid conferunt etiam versiones Aquilae, Symmachi et Theodotionis, quibus junguntur trium aliarum, quae supersunt, fragmenta.

Primum inter has locum tenet versio Aquilae, qui genere Judaeus sec. II. vixit, et in vertendo praesertim eo elaboravit, ut etymologias exprimeret, cujus consilii in ejus opere multa vestigia exstant. Unum exempli causa afferre juvat: in psalm. XC. aut LXXXIX. 2. legimus, Deum exstitisse, antequam montes conditi fuerint. Textus originalis habet יֻלָּדוּ a ילד partu edidit. Tropum hunc, quem V. A. reddit per *εκτισθησαν* (conditi sunt), retinuit Aquila vertendo *ετεχθησαν*. Inde ejus usus est potius criticus, quam exegeticus. Aliquid tamen lucis praebet in quibusdam verbis rarioribus.

Symmachus gente Samaritanus etiam sec. II. vixisse, et sub Severo Imperatore versionem suam elaborasse creditur. Veteres tradunt, eum in vertendo puritati linguae graecae studuisse; et revera reliquiae hujus versionis idem confirmant; nam Hebraismos non ad verbum graece reddit,

sed potius sensum exprimit, quam ob rem a S. Hieronymo et Theodoreto laudatur: contra a suis popularibus malam gratiam iniit, quippe qui timebant, ne per studium puritatis linguae sacris litteris alienum sensum importaret. Indolem hujus versionis probant exempla: vulgare προσωπολαμβανειν effert modo per εντρεπεσθαι, modo per συσωπεισθαι, utrumque bene graecum. Expressio Vers. Alex. non satis clara λαος περιουσιος a Symmacho redditur per expressionem bene graecam: λαος εξαιρετος. Proin ejus usus est magis exegeticus quam criticus.

Theodotion vix non ubique Vers. Alex. sequitur, de qua diximus. Quare de hoc silere licet.

De versionibus, quae dicuntur IV. V. et VI. paucissima tantum fragmenta supersunt; inde illorum usus vix ullius momenti esse censetur.

§. 57.

Libri A. F. graece scripti, et apocrypha utriusque F.

Versionibus graecis, quae ad linguam hebraisticam cognoscendam inserviunt, adjungimus libros et partes librorum V. T., qui aut ab origine idiomate graeco plus minusve hebraizante scripti, aut in hanc linguam post Vers. Alex. translati sunt, qui e studio biblico A. F. constant.

His accedunt apocrypha cum V. tum N. T., utpote quae a Judaeis aut Judaeo-christianis confecta eandem linguam exhibent, quae in Bibliis N. F. invenitur. Quaedam ex his ipsam aetatem apostolicam attingunt, vel non multum ab eadem distant.

Apocrypha ipsis versionibus ex una parte praeferenda sunt, quia eorum auctores suspecti esse non possunt, ne in usu loquendi judices potius quam testes agant, id quod in

vertentibus semper plus minusve locum habet. Porro ex apocryphis et incrementa, quae cepit, et mutationes, quas subiit lingua hellenistica a tempore versionis των 70 usque ad sec. II. aerae vulgaris cognosci possunt, simulque ea ex his in oculos incurrunt, quae religio christiana in usu loquendi hellenistico mutavit.

At cum ex altera parte apocrypha non subministrent expressiones hebraicas, quod versiones praestant; tamen hae illis ad usum loquendi hebraisticum cognoscendum praeferri solent.

Quod dicimus de apocryphis scriptis, potiori jure valet de genuinis operibus Patrum apostolicorum, e quibus praeter communem linguam hellenisticam etiam Christianis peculiarem in quibusdam cognoscimus.

§. 58.

Versiones antiquae aliarum linguarum et explicationes quorundam Patrum.

Versiones, quae praeter graecas ad cognitionem linguae hebraeo-graecae aliquid conferre possunt, sunt antiquae versiones latinae, praesertim itala et syriaca; nam hae probabilius a Judaeo-christianis linguae hellenisticae peritis confectae sunt. Commentarii Patrum, qui ad eundem finem apti censentur, sunt praesertim Origenis et S. Hieronymi, quibus adjunguntur scripta Justini et Epiphanii, qui etiam linguae hebraicae periti fuisse creduntur.

§. 59.

Comparationes cum expressionibus orientalibus.

Si vero per omnia allata media optatum lumen non obtinetur, tanquam indicium a quibusdam consideratur, latere

Orientalismum, lucemque repetendam esse volunt ex perfectiori Hebraismorum cognitione, ad quam comparandam libri hebraici, syriaci, chaldaici, rabbinici, imo et arabici commendantur.

Licet non omnino negemus, lectionem librorum orientalium ad Biblia N. F. illustranda aliquid conferre posse; tamen in hac re summa cautione utendum esse putamus. Etenim magna differentia intercedit inter cognitionem Hebraismorum, quae e fontibus hellenisticis, praesertim ubi hebraica et graeca simul offeruntur, hauritur, et inter eam, quae ex sola lectione librorum orientalium comparatur et ad libros N. F. transfertur.

In primo casu de Hebraismis in linguam graecam ingressis fere historice certi reddimur; in secundo autem comparatio inter orientalem et graecam N. F. phrasin nonnisi conjecturis innititur, quae eo minorem veri speciem praebent, quo ineptiora plerumque comparationum corollaria inveniuntur. Si jam etiam in primo casu cautione opus est, quanto majori in secundo?

§. 60.

Cautelae circa comparationes inter expressiones graecas N. F. et Orientalismos observandae.

Ne in hoc labore, aut potius in recipiendis consectariis hujus laboris decipiamur, sequentes canones eruditorum observandos adjungimus:

a. Nulla hujusmodi comparatio inter graecam N. T. et orientalem dictionem admittatur sine necessitate aut saltem sine ratione sufficiente, quae non adesse censetur, si expressio graeca commodum sensum praebet.

Ex hoc capite Boltenii explicatio prorsus rejicienda

est, qui verbum *απεχουσι*, receperunt Matth. VI. 2 contulit cum בַּטֵּל et sensum eruit: cessare fecerunt, qui non melior, sed in omni respectu deterior est.

b. Si non prorsus repudiandum, saltem suspectum esse debet hujusmodi comparationis corollarium, quod nulla versione orientali confirmatur. Etenim si similitudo et nexus inter dictum quoddam N. F., et orientale revera fundamentum haberet in linguarum indole, uni alterive ex iis in mentem venisset, qui Biblia N. F. in linguas orientales verterunt, atque ita comparatio modernorum seu consectarium comparationis versione quadam orientali confirmaretur. Ex hac ratione non tantum Arabismus Boltenii in adjectivo *αργος* Matth. XII. 36, qui illud ex radice arabica per mendax, calumniatorius explicat, sed etiam Chaldaismus, qui eandem significationem praeberet, suspectus est, siquidem nulla versione orientali confirmatur.

c. Talis interpretatio certe erroneae comparationi innititur, juxta quam vocabulo cuidam N. F. significatio tribuitur, quam nec in Vers. Alex., nec in caeteris auctoribus hellenisticis unquam habet; sic *μαχαιρα* a Nachtigallio comparatur cum hebr. חֶרֶב, ut Luc. XXII. 36 per cultrum reddat. At hanc significationem nunquam habet *μαχαιρα*.

d. Loquendi formulae, quae inter se comparantur, in omnibus partibus sibi aequales esse debent; alias ex usu et significatione unius perperam concluditur ad significationem alterius.

Inde phrasis Matth. XXI. 32 venire in via justitiae cum dictione venire cum re portabili male comparatur.

e. Etiam hujusmodi comparatio rejicienda est, quae innititur Orientalismo admodum raro, aut vocabulo incertae significationis.

Ex tali comparatione Boltenius Matth. XXVII. 5. ἀπηγξατο interpretatus est praecipitem se egit, ut conciliaret cum Act. I. 18, quae interpretatio proin per hanc et primam regulam rejicienda est. (Hermeneutica Arigleri.)

Facile observatur, comparationes hasce prodire ex desiderio inveniendi alium sensum, quam qui est obvius, et forte ex tacita quadam eruditionis ostentatione: insuper innituntur lusui phantasiae et ingenii. Quare in iis recipiendis cauti simus oportet.

III.

De fontibus cognitionis linguae N. F. quatenus est christiana.

§. 61.

Usus loquendi christianus cognoscitur in genere ex fontibus christianis.

Ex §. 50. constat auctores N. F. habere etiam expressiones sibi proprias, aut proprias significationes cum vocabulis usitatis conjungere, quando de propria doctrina, de mysteriis et actibus religiosis mentionem faciunt. Illarum perfecta cognitio est necessaria, ne erroneum cum iis sensum conjungamus, dum forte ex alio loquendi usu interpretamur, quae ex proprio explicanda sunt, aut expressionibus alia sensa subjiciamus, quam auctores ipsi exprimere volebant.

Hoc periculum eo majus est, cum loquendi usus christianus nondum determinatus esset, sed vagus adhuc et fluctuans, et scripta ipsa occasionalia longe absint a consilio tradendi systema religionis et definiendi dogmata,

quae oretenus tradita supponunt, adeoque nonnisi fragmenta tangant.

Mosheimius laudatur ob ea, quae dicit in institutione sua historiae christianae majori Sect. I. pag. 134: „Si, quae studiorum rationes inter populos Orientis praesertim in Asia et Aegypto floruerint, cum ad nos descenderet filius Dei, monumentis exploratum hodie esset minime dubiis, magna uteremur luce ad libros divinos melius intelligendos, et ad veterum formularum et dogmatum christianorum rationes reddendas, ad scita denique eorum explicanda, qui rei christianae initia foedis erroribus contaminarunt.“

Licet haec in quibusdam vera sint, tamen ad usum loquendi christianum determinandum non vellem transferre; nam quaestio plerumque non tam est, qualem significationem Orientales cum hac vel illa expressione conjunxerint, sed potius, qualem sensum cum iis conjunxerint auctores sacri juxta principia religionis Jesu Chr. Non tam curamus, e. g. quid Philo Judaeus per *Λογον* intellexerit, sed potius, quid eodem vocabulo indicare voluerit Joannes Evangelista. Ut a scriptoribus judaicis discimus, quid de re quadam senserint Judaei; sic a christianis discendum erit, quid in sensu christiano vocabula et phrases valeant, et quidem eo magis, cum Christiani nonnunquam eadem vocabula retinuerunt, alias vero et nobiliores notiones cum iisdem conjunxerunt, ut est regeneratio, nova creatura.

Auctores porro N. F. illitterati, parum solliciti de opinionibus eruditorum aetatis suae nonnisi simplici modo suis scribunt, nec magnam curam habuisse inveniuntur, ut ipsa verba Domini referrent, sed sensum. Hunc vero sine dubio expresserunt per illum loquendi usum, qui inter Christianos jam invaluerat. Non minus, ubi in doctrinis tradendis ipsi loquuntur, sermone inter fideles recepto utuntur. Si proin dubium esset, in quo sensu Joann. XX. 31 *ὁ υἱος*

του Θεου sumendus sit, rei natura responderet: in quo sensu fideles illius temporis eandem expressionem sumere solebant, quia Evangelista scripsit ad confirmandam doctrinam ecclesiis traditam de altiori Jesu Chr. natura, ne per haereses pullulantes a fide deducerentur.

Ex his liquet, e fontibus christianis lucem esse capiendam, ut in Bibliis N. F. usum loquendi, quatenus est christianus, intelligamus.

§. 62.

Unde cognoscatur in specie.

Omnem vim expressionum, quae ad doctrinam religionis christianae referuntur, perfecte nosse, ex rationibus allatis saepe difficile est; attamen, in quantum fieri potest, haec cognitio comparatur:

a. Ex ipsis Bibliis, quorum auctores eodem tempore viventes, iisdem principiis imbuti in quibusdam se mutuo illustrant. Quid Gal. IV. 15 sit καινη κτισις, per colloquium cum Nicodemo Joann. III. et ex Rom. VII. 14—25 illustratur.

Nonnunquam expressiònes nobis declaramus ex historia. Quid sit Act. II. 24 κλασις αρτου, et Act. II. 46 κλῶντες αρτον ex institutione eucharisticae coenae colligimus. Qualis vidua, χηρα I. Tim. V. 9 intelligenda sit, ex iis cognoscimus, quae historia de Diaconissis refert.

Alias e contextu rite considerato intelligitur expressio, praesertim si saepius redit. Si attendimus ad loca I. Tim. I. 10; VI. 3; item II. Tim. I. 13; IV. 3; Tit. I. 9 et 13; Tit. II. 1, facile cognoscimus, ὑγιαινουσα διδασκαλια et λογοι ὑγιαινοντες significant id, quod nos dicimus doctrinas orthodoxas, et ὑγιαινειν εν τη πισει indicat fidem orthodoxam sequi. Non tam clare patet, quod suspicor,

I. Tim. I. 18 et praesertim I. Tim. IV: 14 δια προφητειας intelligendum esse id, quod nos formam sacramenti ordinis nominamus, verba, quae cum impositione manuum pronuntiantur, quod praesertim secundo loco contextus, requirit. Ezech. XXXVII. προφητευσιν etiam significat; proferre verba, quae vim et potestatem tribuunt. Ipsa verba ordinationis hanc vocem προφετεια admittere videntur, e. g. „Quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt." Act. VI. 4 per προσευχη intelligi totum cultum divinum, quem sibi reservarunt apostoli, patet ex natura rei et contextu.

Ex eodem contextu colligimus: πισος non tantum significat fidelis in sensu auctorum graecorum, sed etiam eum, qui fidem Jesu Chr. tenet, et quod cum hac fide convenit. Dum adhibetur de personis, non est controversia: at etiam de doctrina in simili sensu adhibetur. I. Tim. I. 15 πισος ό λογος, fidelis sermo (rectius redderetur: doctrina fidei est) et omni acceptione dignus (digna), quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere." Idem valet de I. Tim. III. 1 et IV. 9; non minus II. Tim. II. 11; Tit. I. 9, et III. 8, ubi, ut opinor, indicat λογον πισεως doctrinam fidei, sicut I. Tim. IV. 6 λογοι πισεως tales doctrinas exprimunt.

Αληθινος sumitur nonnunquam in oppositione cum terrenis, transitoriis, et significat id, quod est altioris naturae, supernaturale, coeleste. Tale est Luc. XVI. 11, ubi το αληθινον supernaturale indicat. Hebr. VIII. 2 ή σκηνη ή αληθινη, tabernaculum verum explicatur „quod fixit Dominus et non homo," tabernaculum coeleste. Idem Hebr. IX. 24 τα άγια αληθινα. Praesertim Joannes hac significatione gaudet. Joann. I. 9 το φως το αληθινον, lux vera, i. e. lux supernaturalis, coelestis. Cap. IV. 32: „Pater meus dat vobis de coelo panem verum (τον αληθινον,

supernaturalem) Cap. XV. 1: „Ego sum vitis vera.“ (ἡ ἀληθινη, supernaturalis, coelestis.) Confer et I. Joann. II. 8; V. 20 juxta textum graecum.

Inde illud Apoc. III. 14, ὁ μαρτυς ὁ πιςος και ἀληθινος forte reddendum est; coelestis fidei testis, juxta Joann. XVIII. 37: „Ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati,“ (verae religioni).

Alia denique ex analogia expressionum et doctrinae intelligi debent, ut formulae εν Κυριῳ, εν Χριςῳ etc.

b. Usus loquendi christianus cognoscitur ex traditione seu continua Ecclesiae doctrina, praesertim quatenus ex Bibliis dogmata demonstrare volumus; nam, uti Sect, IV. accuratius videbimus, non erat auctoribus sacris consilium tradendi systema doctrinae, aut definiendi dogmata religionis in scriptis suis, sed satisfaciendi occasionibus, quibus ad scribendum erant provocati. Supponentes ergo doctrinam oretenus traditam saepe quaedam obiter tantum tangunt usi stilo vulgari, minus accurato, accommodationibus. Quare naturae consentaneum est, ut multa eorum, quae tangunt, nobis sint obscura, ambigua aut saltem non definita. Inde necesse est, ut scripta Patrum Ecclesiae consulamus, in quibus orthodoxam religionis doctrinam proponunt, cum hi traditionem quoque dogmatum apostolicam cognitam haberent, atque ita etiam ea rite intelligerent, quae nonnisi obiter, aut minus accurate aut cum accommodationibus exprimuntur.

Praeterea et illud considerandum est: ut in omni loquendi usu novo, sic etiam in christiano accidit, ut ab initio vagus et non satis definitus tempore succedente excoleretur, licet ipsae doctrinae jam essent definitae. Πρεσβυτεροι et επισκοποι quasi promiscue sumuntur ab initio, quamvis discrimen gradus et subordinatio jam aderat. Originarius porro loquendi usus, quatenus saltem ex Bibliis

nobis constat, in quibusdam retentus, in aliis vero derelictus fuit. Quod ab initio dicebatur *κλασις αρτου*, postea Eucharistia nominatum est: *λογοι ὑγιαινοντες* postea doctrinae orthodoxae dictae sunt. Pro omnibus his ex traditione lumen repetamus oportet.

c. Cum scholiastae et glossographi praeter ea, quae res antiquas et communem loquendi usum declarant, saepe etiam talia afferant, quae loquendi usum Christianorum illustrant: etiam hos antiquis Ecclesiae scriptoribus subjungimus, licet pleraque ex his hauserint. Non tamen omnia scholia, omnesque glossae ejusdem praestantiae ac usus sunt; aliae enim e profundiori cognitione linguae christianae fluxerunt: aliae contra nonnisi conjecturis originem debent. Primi generis notae ad finem nostrum inserviunt, non item secundi, ut in tractatu de scholiis et glossis videbimus.

§. 63.

Quomodo usus loquendi in dato loco sequendus dignoscatur.

Cum in Bibliis N. F. quasi triplex loquendi usus occurrat; nonnunquam dubium esse potest, juxta qualem expressio quaedam intelligenda sit, quod dubium solvitur:

a. Ex ratione sensus; si enim ex uno loquendi usu sensus contextui conveniens et sanus; ex altero autem sensus contextui minus respondens ac ineptus prodit; apertum indicium habetur, qualis loquendi usus sequendus sit. Act. XII. 20 *ειρηνην* juxta usum loquendi graecum sumendam esse ex natura rei liquet. Jacob. IV. 4: *μοιχοι* et *μοιχαλιδες* non juxta usum loquendi graecum de physicis, sed juxta hebraisticum de spiritualibus adulteris intelligendum esse ex contextu colligitur. I. Tim. V. 9: *χηρα κα-*

ταλεγεσθω nonnisi juxta usum loquendi christianum praebet sensum contextui convenientem.

b. Ex principiis, quae traduntur, et ex loquendi formulis, quae nonnunquam aperte indicant, unde expositio repetenda sit. Gal. V. 17: ἡ σαρξ επιθυμει κατα του πνευματος. Luc. XXVI. 36: ειρηνη ὑμιν, consueta Judaeis salutandi formula. I. Cor. VII. 39: γαμηθηναι εν Κυριῳ. Contra Rom. I. 21: γνοντες τον Θεον de philosophis juxta usum loquendi graecum intelligendum est: non vero II. Tim. II. 19, et Rom. VII. 15.

c. Ex notitiis historicis; ex his enim nonnunquam innotescit, quomodo expressio capienda sit. Ex historia adventus Spiritus S. patet, quid significet saepius recurrens γλωσσαις λαλειν. Ex historia populi hebraici contra Jehovam renitentis colligimus Rom. II. 8 εριθειαν non tam contentionem, quam renitentiam contra Deum significare. Ex cognito more Christianorum celebrandi Eucharistiam liquet, quid Jud. 12. αγαπαι denotent.

Hac referemus notitiam historicam, utrum auctor linguam graecam vel hellenisticam tantum edoctus fuerit. His observationibus rite adhibitis si non semper certum, saltem probabile judicium ferri poterit, quis loquendi usus in dato loco sequendus sit.

Annotatio.

Habemus lexica, in quibus fere singula loca explicantur, ubi vocabula in Bibliis occurrunt, et quidem non tantum grammatice, sed etiam dogmatice. At in his nonnunquam fit, ut auctores tales verbis et phrasibus significationes tribuant, quae magis cum eorum cogitandi ratione, quam cum usu loquendi et contextu conveniunt. In lexico

graeco, e. g. Joh. Frider. Schleisner etc. Lipsiae 1819. Tom. 2. pag. 43. Λογος Joann. I. 1; ut abstractum sumi posse defenditur pro concreto doctore. Pag. 592 Coloss. I. 19 et II. 9 ita explicantur, ut non tantum primus, sed et secundus locus pro divinitate Jesu Chr. nihil probet. At in his et aliis suam dogmaticam potius quam usum loquendi et contextum sequitur. Quare in usum talium lexicorum cauti simus oportet.

SECTIO II.

DE CULTURA LOQUENTIS.

§. 64.

Cultura loquentis cum usu loquendi proxime cohaeret.

Cum usu loquendi nihilarctius cohaerere videtur, quam cogitandi, sentiendi ac sensa exprimendi ratio, quae auctori verborum propria fuit, ejusque culturam efficit; imo ille perfecte cognosci saepe nequit sine hujus cognitione, siquidem eadem vocabula non raro pro diverso gradu culturae loquentis diversam significationem habent; sic Deus aevo apostolico longe aliud significabat in ore Judaei quam gentilis.

Modus scribendi, res declarandi ac referendi ita dependet a cultura auctoris, gentis et aetatis, in quibus vivebat, ut interpres saepissime erraret, nisi ad illam diligenter respiceret. Erraret, si expressiones biblicas semper, ut in modernis scriptis philosophicis, ad rigorem logicum intelligeret; erraret, si tam systematicum nexum in Bibliis supponeret, quali hodiedum libri componi solent, aut si in relatione rerum gestarum ut doctrinarum ubique ordinem chronologicum vel historicum adesse existimaret, si inter imagines Orientalium et Occidentalium non distingueret etc.

Quare de nexu in libris sacris solide vix agi potest, nisi praemissa fuerint, quae de cultura valent, qua sunt

exarati: et cum nemo sanus Bibliis finem imputaverit, ad quem non sunt apta, cultura prius quam consilium eorum consideranda videtur. Inde immediate post usum loquendi de cultura loquentis agendum esse puto, quae

I. in materiam,

II. in formam orationis

vario modo influit.

Caput I.

CULTURA, QUATENUS INFLUIT IN ORATIONIS MATERIAM.

§. 65.

Cultura nota sit interpreti.

Culturam loquentis in materiam orationis vario modo influere nemo in controversiam vocabit, qui rem rite perpenderit. Auctor enim communi aetatis suae cultura imbutus scribendo eandem manifestat, licet forte in quadam scientia, e. g. religionis super coaevos emineat. Refert aliorum actiones, quae fluxerunt ex opinionibus, quas interpres ignorare non debet. Qui penitus ignorat opiniones gentilium de diis eorum, Act. XIV. 10—12 non intelligit.

Quodvis porro tempus, quaevis natio, schola et secta etc., suas opiniones, cognitiones plus minusve perfectas, suos errores, suaque praejudicia habet, quae si tanguntur, haerebit interpres, nisi de his satis instructus fuerit. Sine cognitione opinionum et sectarum Judaeorum multa in Bibliis N. F. obscura sunt. Qui ignorat quaestiones a Rabbinis agitatas nec Matth. XIX. 3, nec Matth. XXII. 36 perfecte intelliget.

Teste historia omnia in continuo fluxu inveniuntur, artes et scientiae mutationes subeunt, cognitiones rerum excoluntur, novi errores oriuntur, alii deponuntur, quin nonnunquam loquendi ratio mutetur, ut nos quoque dicimus: sol oritur, sol occidit. Inde ad Biblia tot seculorum spatio scripta rite intelligenda ampla rerum cognitio requiritur.

Sicut mutantur cum tempore opiniones et principia, ita eodem tempore in diversis hominibus diversae inveniuntur notiones praesertim in rebus religionis, licet forte iisdem terminis iisdemque loquendi formulis utantur. Qui Marc. XV. 34 verba centurionis: „Vere homo iste filius Dei erat,“ ita intelligeret, ac si homo gentilis Jesum agnovisset filium Dei in eo sensu, in quo nos eum agnoscimus, probabilius erraret.

Licet denique notiones specificae in diversis nonnunquam sint eaedem, tamen gradus cognitionis varius invenitur, quem negligere non debet interpres. Notio de providentia aevo apostolico quoad gradum perfectionis alia fuit inter philosophos gentiles, alia inter Judaeos, alia inter apostolos a Domino edoctos.

Ex his liquet, quod, si interpres culturae loquentium ignarus fuerit, frequenter melioribus deteriores notiones, vel deterioribus meliores, aut antiquis recentiores, vel recentioribus antiquas, domesticis peregrinas, vel peregrinis domesticas etc., paucis alias notiones subjiciet, quam quas loquentes cum verbis suis copularunt. Quare interpres cognitione culturae, quatenus influit in orationis materiam, carere minime debet. Cognitam proin habeat cogitandi et sentiendi rationem aetatis biblicae, non tantum auctorum ipsorum et nationis, unde oriundi fuerunt, sed eorum quoque, qui juxta principia sua loquentes et agentes in sacris

litteris occurrunt, aut de quorum principiis aperta aut tacita fit mentio, ut sunt gentiles, Gnostici, Docetae, Magi etc.

Cum vero, quae huc spectant, fere omnia in Archaeologia biblica tradita sint, aut in introductione speciali tradi soleant; hic nonnisi fontes praeeuute Ariglero commemoramus, e quibus haec cognitio hauriri solet; et cum triplicis generis sint, christiani, judaici et gentiles; de his singulis ita breviter agemus, ut de eorum pretio et auctoritate sanum judicium ferre discamus.

§. 66.

Fontes christiani.

Ad hos numerantur:

1. Libri sacri N. F., quatenus satis clare et definite et sine accommodatione loquuntur.

2. Patres Ecclesiae et scriptores ecclesiastici, qui saepe cogitandi rationem Christianorum clarius magisque perspicue tradunt, quam fit in libris sacris, referentes etiam ea, de quibus scripta occasionalia auctorum sacrorum pro fine suo neque mentionem faciunt. Videndum tamen est, ne aut spuriis aut interpolatis Patrum operibus et locis nitamur.

3. Scripta haereticorum, quae supersunt, e quibus placita eorum innotescunt, quibus apostoli se opposuerunt. Huc spectant praeter deliria Nicolaitarum, errores Gnosticorum et judaizantium, quorum primi philosophiae orientali dediti duplex principium statuebant, emanationes Aeonum defendebant, V. Testamentum contemnentes, de corpore humano et matrimonio falsa docebant, ac homines artibus magicis deludebant etc., quos errores spreta auctoritate apostolorum, quibus se sapientiores jactitabant, cum reli-

gione christiana conjungere volebant. Ad eosdem spectant Docetae, qui Christo nonnisi corpus apparens tribuerunt, et fere omnes simul erant Gnostici.

Judaizantes Judaismo immersi sibi persuadere non poterant observantiam legalium Mosis negligendam esse etc. Ex his prodierunt sectae Ebionitarum et Nazaraeorum.

4. Apocrypha N. F. i. e. scripta, quae apostolis aut viris apostolicis supposita sunt. In his scriptis non desunt talia, quae ad rem nostram spectant. At fides eorum eo magis suspecta esse debet, quo certius in quibusdam mendacia pro veritate vendunt, et quo minus aetas plerorumque ex ipsis hucusque determinata est.

§. 67.

Fontes judaici.

Ad judaicam cogitandi ac sentiendi rationem aetatis biblicae cognoscendam serviunt:

1. Libri A. F., et praesertim mosaici, a quibus Judaei nullo tempore nullisque in regionibus discesserunt, quod non aeque valet de omnibus libris A. F. Inde circa aevum apostolicum cogitandi ratio Judaeoram non conveniebat in omnibus terrae locis.

2. Versio Alexandrina a quibusdam eruditis etiam ut singularis fons consideratur, quia, ut dicunt, versores in vertendo nonnunquam ita versati sunt, ut sui aevi opiniones exprimerent. Huc referunt Genes. VI. 2. et Deut. XXXII. 8. At quae ex hoc vertendi modo discimus, nec certa, nec magni momenti sunt.

3. Multo majoris ponderis sunt Biblia N. F., quae merito tanquam singularis fons cognitionis ut christianae, sic etiam judaicae rationis cogitandi considerantur, quia ibidem saepe opiniones Judaeorum referuntur.

4. Thargumim, quae sunt chaldaicae paraphrases potius quam versiones Bibliorum V. T., et haud raro in longissimas digressiones divagantur. Verum cum vel antiquissimum ex illis haud ultra tertium seculum aerae christianae ascendat, non omni jure ad aetatem biblicam referuntur.

5. Pseudepigrapha, i. e. libri viris illustribus V. T. suppositi, e. g. liber Enochi, testamentum Josephi etc. At in his securius videmus, quid horum auctores fabulati sint, quam quid Judaei aetatis biblicae cogitaverint.

6. Tanto potiori jure huc pertinent Philo et Josephus Flav., auctores omnibus notissimi. Attamen Josephi fidem suspectam in quibusdam facit studium sectae Pharisaeorum, et accommodationis ad placita Romanorum et Graecorum, cujus plura vestigia in ejus scriptis inveniuntur, e. g. dum (Archaeol. lib. II. 16.) transitum populi Israelitici per mare rubrum comparat cum transitu exercitus Alex. M. per mare Pamphilium: aut dum post descripta phoenomena in monte Sinai subjungit: „Quisque de his, ut libuerit, sentiat.“ Talia certe abhorrent a cogitandi ratione judaica.

Philo utpote philosophus platonicus Alexandriae plures habet opiniones proprias, quas nationi judaicae perperam tribueremus.

§. 68.

Continuatur.

7. Thalmud, quod est corpus traditionum judaicarum constans tribus partibus, nempe Mischna, i. e. textu, qui traditiones istas simpliciter refert, et circiter sec. II. medio confectus est, et duabus Gemaris, i. e. commentariis, quarum altera hierosolymitana anno circiter 230, altera babylonica, quae sec. V. ad finem vergente ad exitum perducta est. Licet traditiones istae quoad majorem partem revera

ex aetate biblica veniant, pureque judaicae sint; quosdam tamen ad Christianorum sententias immutatas esse dubium non est, quod e dissensu cum fontibus antiquis, ut volunt eruditi, cognosci potest.

Tanquam fontes subsidiarii a quibusdam considerantur commentarii in Thalmudem et S. Script., qui ab Abenesra, Maimonide (seu Mose filio Maimonii), Abarbanele aliisque eruditis Judaeis sec. XIII. confecti sunt. At ex distantia ab aetate biblica facile intelligitur, quam parum hi ad finem nostrum inserviant.

8. Cabbala, quae est opus, quod continet systema theologicum Judaeorum. Quam immerito fontibus annumeretur, e quibus cogitandi et sentiendi ratio Judaeorum aetatis biblicae cognosci possit, patet ex eo, quia peculiores hujus systematis partes et veluti fundamenta minime ad aetatem assurgunt, quam eis nonnulli vindicare volunt; et quia in eodem opere inveniuntur recentioris originis indicia, e. g. distinctio duplicis Messiae, doctrina de Deo triuno.

Quod attinet Sephiroth, seu praedicata supremi Numinis, quae in Cabbala occurrunt, neque numerus, neque ordo eorum consentit cum partibus doxologiae Apoc. VII. 12, cui loco tamen unice innituntur, qui hanc partem systematis cabbalistici non modo apostolis coaevam, sed ipsis adhuc antiquiorem esse volunt. Etiam imagines et similitudines apocalypticae melius e libris antiquorum prophetarum, quam a cabbalisticis illustrantur. Nec video, cur non etiam auctor Cabbalae quaedam ex Apocalypsi sumere potuerit.

9. Sabaeorum libri, quos nonnulli pro secta habent, quae e discipulis Joannis B. prodiit, et Evangelium Joannis his oppositum esse volunt. Sed alii aliter sentiunt, et libros Sabaeorum nullo modo tanti habent, sed eos tantum considerant tanquam fontes, unde discatur, quantum Judaei sic

dictae philosophiae orientali detulerunt, cum Sabaeos saltem a Judaeis prodiisse, eorumque placita e philosophia hac originem traxisse probabile sit.

De doctrina hujus sectae ejusque fatis uberius tractavit Ignatius a Jesu in libro, cui titulus: „Narratio originis, rituum et errorum Christianorum S. Joannis. Romae 1652," et alii.

10. Libri zendici, qui continent doctrinam Zoroastri, qui sec. VI. ante Christum in regno Mediae floruit, et specialem aliquam doctrinam tradidit, quae omnem fere Orientem praecipue provincias Persarum imperio subjectas pervasit, et probabilius etiam Judaeis innotuit. Ex his libris aut ex opinionibus eorum, qui huic doctrinae dediti fuerunt, volunt nonnulli hausisse Judaeos varia, e. g. doctrinam de resurrectione corporum, theoriam de angelis et daemonibus etc., de quibus aliter cogitarunt Judaei, ut volunt, ante exilium.

At observamus:

a. Juxta Hermeneuticam sacram Hermanni Janssens (Vol. I. pag. 2.) isti libri non sunt opus Zoroastri; nam inveniuntur ibidem vestigia Judaismi, Christianismi ac dictionis arabicae; quare non ante sec. VII. innotescere potuerunt Persis per Arabes subjectis.

b. Licet vero ponantur genuini, facile tamen cognoscitur, auctorem hausisse e fontibus librorum V. T., uti patet ex Archaeologia germanica Jahnii part. III. pag. 150—153.

c. Non videmus ullam doctrinam systemati zoroastrico propriam a Judaeis susceptam esse, cujus non saltem vestigia quaedam in libris Mosis et prophetarum ante exilium exstarent. Mali spiritus jam in antiquioribus Israelitarum libris occurrunt, et diabolus neque a longe tanta potestate praeditus apparet, ut Ahriman in systemate zoroastrico, ubi est principium mali, ut Ormuzd principium boni, de

qua doctrina nihil invenitur inter posteros Abrahami. De resurrectione mortuorum jam loquitur Isai. XXVI. 19, eamque ad aliud declarandum adhibet 70 annos ante Zoroastrum. De superstitionibus vero et absurditatibus zoroastricis nihil invenitur in Bibliis A. F.

Denique

d. aliud est: Non legimus in libris Hebraeorum ante captivitatem babylonicam aperte traditam hanc vel illam doctrinam, et aliud: Hebraei de hac doctrina nihil sciebant. — Etenim Moses quidem ea praemittens legislationi suae, quae necessaria erant ad evitandam idolatriam et cognoscendum unum Deum creatorem, conservatorem et rectorem mundi, fundamenta Theocratiae posuit, ritusque in cultu divino observandos praescripsit; non vero systema dogmaticae et moralis doctrinae tradere voluit; hanc potius magisterio sacerdotum et Levitarum ac parentibus reliquit communicandam cum liberis. Neque alius scriptorum A. F. ante captivitatem bab. tale quid intendebat. Quare audita conclusio non valet.

E libris zendicis ergo seu ex Zend-Avesta pro cogitandi et sentiendi ratione judaica aetatis biblicae nihil certi colligitur.

De libris indicis, qui pariter a nonnullis ad priores illustrandos fontibus nostris annumerantur, idem valet, et quidem eo potiori jure, cum nullum commercium inter Judaeos et Indos constet.

§. 69.

Fontes gentiles.

Gentiles, quorum principia religiosa inquirimus, sunt aut litterati aut illitterati. Illorum opiniones religiosae felicius cognosci non possunt, quam e philosophorum scriptis

inter quae eminent Ciceronis de natura deorum, de divinatione et de officiis libri, qui in his non suas solum opiniones refert, sed aliorum quoque sententias persequitur. Has tamen non tam refutat Scriptura, quam communes illiteratorum et populi opiniones, quas nobis offerunt mythologiae, Ovidii metamorphoses, Luciani dialogi, comoediae Plauti, Terentii, Aristophanis etc., in quibus non tam litteratorum, quam communes populi opiniones respici solent.

His adjungi solent historici et itineraria. Primi eventus plerumque non nude solum, sed ita describunt, ut simul pateat, quae motiva et opiniones agentibus fuerint. Itineraria sunt quidem recentiora, quam ut testimonium nobis de aetate biblica perhibere possint; cum tamen genus humanum in certo culturae gradu fere ubique sibi aequale esse soleat, etiam his aliquis usus pro nobis inesse creditur.

Majoris momenti pro Bibliis existimarem scriptores gentiles, qui nobis ea referunt, quae ad philosophiam orientalem, Gnosticismum, emanationes Aeonum, magiam etc., spectant. Liber de mysteriis Chaldaeorum et Aegyptiorum, qui Jamblicho philosopho syro plerumque tribuitur, proponit systema theoriae magicae, sine cujus cognitione epistolae Pauli ad Coloss., Ephes. et ad Timoth. perfecte intelligi non possunt. Plura de hoc in introductione speciali.

Haec de fontibus eruditionis causa dicta sint.

Caput II.

CULTURA LOQUENTIS QUATENUS INFLUIT IN ORATIONIS FORMAM.

§. 70.

Cultura nota sit interpreti.

Quod de ratione cogitandi aetatis biblicae diximus, etiam de modo scribendi, res declarandi et referendi auctorum sacrorum valet. Nam modus iste a cultura litteraria dependet, quae generatim loquendo in auctoribus biblicis aut nulla, aut tenuis, aut alius generis fuit, quam in modernis scriptoribus esse solet; ad quae si interpres non attenderit, ut decet, in periculo versatur delabendi in errores gravissimos.

Ab expressionibus anthropomorphiticis et anthropopathicis de Deo, quae infantiae generis humani et penuriae linguae originem debent, male inferet, ac si auctores spiritualem Dei naturam ignorassent: nexum urgebit, qui tamen saepe urgendus non est: repraesentationes sensuales, quibus spiritualem doctrinam exprimere amabant Orientales, ad litteram interpretabitur, et corticem pro nucleo habebit: ab expressionibus stili vulgaris, minime compositis ad ακρι-βειαν scholae, nec ad rigorem logicum, ad absolutam religionis doctrinam concludet, quod nefas est etc.

Ex his in oculos incurrit culturam aetatis biblicae, quatenus spectat ad orationis formam, interpreti non minus notam esse debere, quam quatenus influit in materiam.

§. 71.

De indole scribendi rationis biblicae in genere.

Relationes, quas continent primi libri Hebraeorum, ex aetate veniunt, ubi genus humanum adhuc erat in statu infantiae, ac proin in minimo gradu culturae litterariae; et licet veritates summi momenti ex revelatione haustas referant; tamen modus illas proponendi saepe non tam respondet earum sublimitati, quam conditioni hominum illius aetatis.

Ob defectum culturae litterariae et linguae penuriam frequentius, quam apud nos, occurrunt de Deo expressiones anthropomorphiticae; Genes. XI. 5: „Descendebat autem Dominus, ut videret civitatem et turrim, quam aedificabant filii Adam.“ Item anthropopathicae; I. Reg. XV. 35: „Quoniam Dominum poenitebat, quod constituisset eum (Saulem) super Israel,“ licet in eodem cap. v. 29 legatur: „Verus Deus Israelitarum non mentitur, neque eum poenitet; nam non est homo, ut poeniteat eum.“ Ex eodem fonte fluxerunt expressiones vagae, non satis definitae, impropriae etc.

Porro Orientales, ut constat, sub calidiori coelo degentes ferventiori ingenio et vivaciori imaginatione praediti sunt, quam nos Occidentales; inde delectantur comparationibus, similitudinibus et tropis frequentioribus ac insolentioribus, qui nonnunquam a rebus abjectis, ut nobis videtur, sumuntur. Genes. XLIX. 14 Issachar dicitur asinus ossis, seu robustus. Deut. XXXIII. 17 Josephi pulchritudo celebratur ut pulchritudo primogeniti tauri. Jerem. XXV. 30 Jehova dicitur rugire ex alto, et alia.

Prophetae in sensuali dicendi genere quasi suo jure magis excellunt: allegoriae, hyperbolae, similitudines, comparationes audaciores ubique occurrunt, quae a nostra lo-

quendi ratione saepe abhorrent. Plerumque per imagines in sensus cadentes loquuntur, et nonnunquam ita, ut cum elegantia aliud dicant et aliud innuant, ubi duplex sensus in oculos incurrit. Is. XI. 6: „Habitabit lupus cum agno, et pardus cum haedo accubabit: vitulus et leo et ovis simul morabuntur, et puer parvulus minabit eos etc." Ps. XXI. 12—13: „Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me, aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens."

Imagines prophetarum non sunt tantum saepe abhorrentes a nostris, sed nonnunquam etiam liberiores, ita ut nostrum sensum pudoris offendant, Ezech. XVI. et XXIII.

Ob eandem sensualem cogitandi et loquendi rationem Orientales amant repraesentandi modum per actiones et symbola, qui forte tempore ante inventam scripturam invaluit, ubi homines signis et symbolis sensa sua exprimere solebant. Ab agnoscendo hoc modo repraesentandi per figuras aetas nostra justo plus aliena videtur. Eadem de causa supersensualia exprimunt, imo unam eandemque veritatem supersensualem snb fictionum involucris ob oculus ponunt, atque interdum narratione prolixa rerum ac personarum adjunctis exornant. Exemplum nobis praebet Apoc. XVIII—XX., ubi casus Babylonis, i. e. interitus idololatriae, et Cap. XXI. 10 et seq., ubi nova Jerusalem pro beatitudine coelesti celebratur; praesertim vero Cant. Cant. ex hierographia Orientalium illustratnm a cel. Kistemaker huc spectat.

His consideratis necessarium esse patet, ut lector et interpres depositis propriis, iis sensibus et phantasmatibus imbuatur, quibus innutriti et assueti erant ii, a quibus libri biblici veniunt.

Aevo apostolico aetas infantiae generis humani jam cessaverat, et cultura litteraria diversis in locis floruit. At

auctores Bibliorum N. F. ipsi partim sine cultura scientifica erant, et scripta sua nonnisi ad proximam occasionem destinantes utuntur stilo vulgari, qui abest ab illa accurata loquendi ratione, quae nec plus nec minus, nec aliter dicit, quam quod et quomodo de dato objecto dicendum fuit.

Licet vero haec omnia vera sint, tamen non desunt in Bibliis etiam aesthetice pulchra, imo pulcherrima, ut canticum Mosis, liber Jobi, Isaias, psalmi, Apocalypsis, parabolae etc.

Quod attinet nexum librorum biblicorum, jam ab origine tam systematicus non fuit, uti hodiedum libri cum divisionibus et distinctionibus partium componi solent, sed liberior, solutior. Fortasse diversae librorum partes, e. g. prophetiae diversis temporibus editae nonnisi post mortem prophetae in unum librum collectae sunt, ordine non semper felici. In ipsis Evangeliis non est semper series orationis et gestorum continua, aut ordo historicus. Occasiones dictorum non semper distinguuntur; inde nexus semper urgendus non est.

Omnium minime in prophetiis earumque interjectionibus et repentinis apostrophis severioris contextus leges supponantur observatae. More Orientalium diversi nonnunquam loquentes inducuntur, quin manifestetur, ubinam oratio unius desinat et alterius incipiat; nec indicatur semper, quaenam sit persona loquens, quod nonnisi ex contextu et natura orationis aliisque colligi debet.

Ad hunc originalem nexus defectum accessit perturbatio, quae per tot secula in libros praesertim A. F. venit, quaeque nonnunquam tanta est, ut ope Criticae verus nexus cum certitudine restitui non possit. Si quis comparat textum hebraicum cum Vers. Alex. Jeremiae, plura hujus rei exempla inveniet.

Quaedam alio loco posita reperiuntur, quam quo juxta ordinem naturalem esse deberent, quin factae transpositionis vestigium inveniamus; sic Isai. Cap. VI. continet vocationem Prophetae ad munus propheticum, quae omnibus prophetiis praecedere deberet. Quaedam exciderunt penitus; I. Reg. XIII. 1 numerus annorum excidisse creditur. Denique culpa librariorum et lectorum multa millia lectionum variantium in libros biblicos utriusque foederis irrepserunt.

Cognita jam indole orationis biblicae in genere de iis in specie quaedam dicenda videntur, quae dictioni S. Scripturae quodammodo propria sunt, et quidem inprimis

§. 72.

De tropis biblicis.

Tropi, seu translationes verborum a propria significatione ad impropriam ob similitudinem aliquam, in omni lingua occurrunt; in Bibliis tamen praesertim A. F. sunt, ut audivimus, frequentiores et pro nobis insolentiores.

Originem quidem tropi quoad maximam partem ex originali linguae penuria trahunt, usu tamen recepti simul ad ornatum orationis conferunt, ac proin delectant lectorem, qui similitudinem inter unam rem et alteram cognoverit, ac modo sentiendi Orientalium de iisdem rebus assuetus fuerit.

Quare statuimus regulam: Ad tropos rite judicandos ac interpretandos non semper sufficit nosse usum loquendi et res, a quibus desumti sunt, sed etiam sentiendi ratio Orientalium de iisdem rebus cognita sit oportet.

Tropi biblici ab animalibus desumti nostris moribus indigni et ridiculi videntur; at apud antiquos Hebraeos haec animalia in amore et dignitate quadam erant. Inde

tropi ab his deducti ad orationis lumina spectabant. Genes. XLIX. 9 Juda nominatur catulus leonis, et comparatur leoni cubanti. Ad tropum hunc rite aestimandum non sufficit nosse naturam leonis, qui cubans satur neminem laedit, sed etiam illud, leonem ab Orientalibus sumi pro rege et heroe.

Si Amos I. 2 Jehova dicitur e Zion rugire, sciendum est, rugitum leonis omnibus animalibus esse terribilem ac minabundum. Inde per rugitum Jehovae indicantur minae. Dum Genes. XLIX. 14 Issachar dicitur asinus robustus, recordandum est, asinum utpote animal utilissimum apud Orientales esse in dignitate quadam et aestimatione.

Haec facilia sunt; dificultas vero invenitur in Bibliis, quae non facile tollitur. Scilicet disputatur nonnunquam, utrum expressio quaedam tropice vel proprie intelligenda sit?

Ad dirimendas hujusmodi lites statuta fuit regula, significationem propriam esse tenendam, nisi necessitas vel evidens ratio contrarium suaserit; sic illud Matth. XIX. 12: „Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt (ἐυνουχισαν) propter regnum coelorum,“ aperte tropice est intelligendum. Haec jam regula habet aliquem usum, si ex significatione propria contradictio aut absurditas aperta oriretur.

At nonnunquam ex significatione propria absurdum minime sequitur, et tamen omnino tropice intelligi potest; Isai. III. 16 seq. per luxum matronarum multi intelligunt luxum urbium, quae, ut constat, more Orientalium tanquam mulieres considerantur. Porro judicium de absurdo in mysteriis et veritatibus rationi imperviis non levi periculo errandi est expositum, siquidem id, quod est supra rationem, facile alicui absurdum videri potest, et teste experientia revera videtur. Quare allata regula non stringit.

Inde alii statuunt hunc canonem: Usitata adeoque propria vocum notio sine gravi ratione relinquenda non est. Censetur vero ratio exegetice gravis, quae significationem propriam in dato loco respuit. Hujus generis rationes exegetice graves habentur:

a. consuetudo loquendi de iisdem veritatibus, quae ex lectione librorum ejusdem argumenti cognoscitur, adeoque loca parallela et analoga;

b. scopus loquentis, et

c. nexus orationis.

Ex his decidendum est, utrum expressio tropice vel proprie intelligenda sit. Haec jam regula non est sine usu; nequaquam vero sufficit ad omnes controversias componendas, siquidem et in his novae disputationes oriuntur, et re accuratius considerata in fine opiniones praeconceptae interpretum decidunt. Quare nemo prudens finem disputationum de verbis institutionis eucharisticae Matth. XXVI. 26—28 exspectabit, nisi res relinquatur illi auctoritati, cui munus docendi adeoque dogmata definiendi ex divina dispositione competit.

§. 73.

De allegoriis.

E tropis seu metaphoris continuatis oriuntur allegoriae, in quibus cogitatus, qui a loquente spectatur, per plura similia ejusdem rei cognitae effertur, quin tamen aperte res rei assimiletur, ut fit in comparationibus et similitudinibus apertis. Is. XI. 1: „Et egredietur virga de radice (stirpe) Jesse, et flos de radice ejus ascendet.“ Ephes. VII. 11—17: „Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli etc.“ ubi Apostolus per partes armaturae militis ad pugnandum promti inculcat pugnam spiritualem.

I. Cor. V. 7: „Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio (φυραμα, massa), sicut estis azymi."

Solent distingui allegoriae purae, ubi omnia verba sunt translata, et impurae, ubi verba propria translatis immixta occurrunt, ut illa Ephes. VI. 11—17. Cum in omni comparatione duae res distinguantur, una, quae comparatur, et alia, cui comparatur; patet, ad allegoriam intelligendam opus esse, ut cognoscamus

a. rem, quae in allegoria tacite comparatur. In impuris non est difficultas, quia verba propria lumen praebent: difficilius est in puris. In his per contextum praesertim et ex adjunctis determinandum est, quo spectet allegoria. Luc. XXIII. 31: „Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?" ex adjunctis et contextu sensus cognoscitur. Aeque in illa Joann. XII. 24: „Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert." Item Joann. XI. 9—10.

b. Requiritur cognitio rei, cum qua fit tacita comparatio, sine qua omnia obscura manent. Isai. XXVI. 28: „Concepimus et peperimus spiritum (ventum)," intelligi non potest sine cognitione morbi muliebris, qui empneumatosis dicitur, unde allegoria petita est. Si vero hunc cognoscimus, sensus patet: Fausta speravimus et frustrati sumus.

c. Definiendum est, in quo aut in quibus punctis convenientia rerum comparatarum obtineat, et quousque a loquente spectetur. Ad hoc opus est sano judicio, quo praeditus dum ad scopum loquentis et rerum naturam respicit, non difficulter perspiciet, quousque allegoria extendenda sit.

Difficultas nonnunquam in eo invenitur, quia non satis constat, utrum quaedam dicta, quae forte relationem cum allegoria habere videntur, tropice vel proprie intelligenda sint.

Ernestius in Instit. Interpr. P. I. Sect. II, IV. §. 14. proponit regulam: Tropum suspicari licet in singulis partibus aliquam cum universa allegoria connexionem habentibus.

Verum haec regula suspicionem tantum movet, et nihil definit. Praeterea eo cautius adhibenda est, quo minus ipsa connexio cum allegoria semper dubio caret, praesertim in sermonibus Domini, qui non integri, sed quoad summa tantum capita, et saepe sine successione temporis afferuntur, et quo facilior est transitus ab una ad aliam rem.

Nonnulli ea, quae post Joann. VI. 48 sequuntur, nolunt de Eucharistia intelligere, sed de doctrina, quia Dominus in antecedentibus fidem in se ipsum cibum vitae nominare ipsis videtur.

At posito etiam in antecedentibus fidem solam appellari panem vitae, seu nutrimentum ad salutem, vitam spiritualem, quod non liquet; tamen ita aperte post v. 48 de mysterio Eucharistiae loquitur, ut de hoc dubitare eo minus possimus, quo magis naturalis esset transitus ab uno ad alterum, scilicet: Nutrio fideles meos ad salutem doctrina, imo et carne et sanguine meo.

§. 74.

Comparationes et similitudines apertae.

Ad allegorias accedunt comparationes et similitudines apertae, ubi una res expressa cum alia aperte comparatur, una alteri assimilatur declarationis et illustrationis causa. Hae proin pro interprete nullam difficultatem habent, cum ex natura sua sensum et res declarent et illustrent. Matth. VII. 24—27: „Omnis ergo, qui audit verba haec, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui aedificat domum suam supra petram etc.“

Hoc unum notandum est, quod diximus de tropis; nonnunquam sunt insolentiores, proin judicandae juxta gustum Orientalium. E. g. Cant. Cant. IV. 2: „Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, ‚et sterilis non est inter eas.“ Et Cap. VII. 4: Nasus tuus sicut turris Libani, quae respicit contra Damascum.“

§. 75.

De imaginibus compositis.

Imagines in libris propheticis et poeticis frequentes similitudinibus et allegoriis affines sunt; attamen ab his ita differre videntur: Similitudines aperte declarant, et allegoriae figurate illustrant per res cognitas: imagines vero ad aliquid repraesentandum componuntur. Nonnunquam accedunt ad parabolas, quae tamen narratione simplici quasi historica docent, imagines autem compositae exaggerando amplificant. Sicut Orientales propter imaginationem suam calidissimam in usu troporum sunt audaciores quam nos, ita etiam insolitis imaginibus gaudent, quas descriptionibus prolixissimis ornant, licet his saepe nonnisi simplicem aliquam veritatem amplificare et ob oculos ponere intendant. Inde de his imaginibus notandum:

a. Nonnunquam sunt luxuriantes, i. e. nimis minutim pro nostro gustu depinguntur, et descriptionibus et adjunctis efferuntur, quae nobis superflua et fere modum excedere videntur. Talis occurrit Ezech. XVI., ubi perfidia nationis electae erga Jehovam per imaginem ingratae foeminae repraesentatur, quae ex miserrimo statu erepta, beneficiis cumulata et a benefactore in conjugem assumta turpissimae infidelitatis erga benefactorem se ream fecit. Apoc. XVII. et XVIII. casus Babylonis minutim et eleganter

descriptus non indicat nisi interitum potentiae idololatricae. Apoc. XXI. nova Jerusalem adeo minutim depicta non intendit aliud, quam ob oculos ponere beatissimam sortem bonorum post resurrectionem universalem. Prophetae, quasi obliti imaginem esse tantum medium ad aliquid repraesentandum, depingunt eam more Orientalium atque exornant, ac si rem historicam tractarent.

b. Sunt grandiores et insolentiores; uti prophetae in imaginibus compositis justo plura nobis dicere videntur, sic et hyperbolice justo majora proferunt. Quasi familiare est vaticiniis, magnas quasdam mutationes et insolitos eventus exprimere per obscurationem solis, per lapsum siderum, terraemotus etc.

Is. XXXIV. 4: „Et tabescet omnis militia coelorum, et complicabuntur sicut liber coeli, et omnis militia eorum (sidera) defluet, sicut defluit folium de vinea et ficu." Apoc. VI. 12—13: „Et ecce terraemotus magnus factus est, et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis, et stellae de coelo exciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum a vento magno movetur, et coelum recessit, sicut liber involutus est, et omnis mons et insulae de locis suis motae sunt."

Similia leguntur Is. XXX. 26, item Cap. XIII. 10, et XXIV. 23. Zach. XIV. 9. Amos VIII. 9. Joel VII. 10. Ezech. XXXII. 7—8. Matth. XXIV. 29.

Ex his liquet, quam parum talia ad litteram intelligenda sint.

§. 76.

Imagines simplices.

Praeter imagines compositas, quae praesertim a prophetis adhibentur, occurrunt in Bibliis etiam simplices, quae

uno alterove verbo exprimuntur; atque ita aliud nominatur, et aliud indicatur, ubi primum per modum typi locum tenet secundi. Quaedam hujus generis imagines ut symbola notae sunt, aliae ex contextu aut aliunde, ut dicemus, inquiri debent. Notae sunt e. g. cornu ut imago potentiae, jugum servitutis, clavis potestatis. Imago simplex nonnunquam tractatur per allegoriam; Apoc. III. 7: „Qui habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit, claudit, et nemo aperit,“ juxta Is. XXII. 22. Apoc. III. 18: „Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias . . . . et collyrio munda oculos tuos, ut videas.“

Non tantum per res, sed etiam per nomina propria personarum, civitatum, nationum in stilo prophetico aliud saepe nominatur, et aliud simile indicatur. Malach. IV. 5; „Ego mittam vobis Eliam,“ ubi non intelligitur, nisi similis Eliae, quod Jesus ipse de Joanne Bapt. interpretatur Matth. XI. 14 et XVII. 12: „Dico autem vobis, quia Elias jam venit.“ Apoc. XX. 7 alluditur ad Ezech. XXXIV. 2 et 6. Gog et Magog non indicant nisi reges impios populum sanctum impugnantes. Apoc. II. 20 Jezabel dicitur mulier impia ob similitudinem cum illa III. Reg. XVI. 31. Roma saepe dicitur Babylon. Apoc. XI. 8: „Et corpora eorum jacebant in plateis civitatis magnae, quae vocatur spiritualiter (πνευματικῶς) Sodoma et Aegyptus.“

Jerem XXX. 8—9: „Non dominabuntur ei amplius alieni, sed servient Domino Deo suo et David regi suo, quem suscitabo eis.“ Aperte nominatur David loco alterius ipsi similis Messiae. Luc. I. 31: „Regnabit in domo Jacob in aeternum,“ i. e. in regno electorum.

Eodem modo, ut opinor, Dominus Matth. XXIII. 35 Zachariam (II. Paral. XXIV. 21.) nominavit, siquidem verba sunt genuina, et alterum indicavit ejusdem nominis, qui teste Josepho Flav. ante excidium urbis Jerusalem

similem sortem habuit. Haec consuetudo per imagines loquendi et unum nominandi et alterum simile indicandi in prophetis ubique dominatur, ex quo duplex sensus in oculos incurrit.

§. 77.

Interpretatio imaginum.

Imagines compositae; quae prophetis et poetis propriae sunt, nonnunquam annexam habent significationem, ut Ezech. XVI. Daniel VII. 17—18 declarantur praecedentes imagines. Alias ex indole imaginis innotescit significatio, ut Is. XI. 6—9, et LXV. 25; ex natura colorum cognoscitur imago perfectae quietis et felicitatis.

Si vero nulla explicatio adjecta est, nec significatio aliunde constat, considerentur praeter indolem imaginis et contextum adjuncta, in quibus proposita est, et attendatur ad analogiam aliarum imaginum, quae aut annexam habent significationem, aut quarum significatio ex historia constat. Si perpendantur imagines Zachariae, quae explicantur, aut ex historia illustrantur; poterit concludi ad significationem earum, quae non explicantur; quaedam tamen semper manent obscurae, quales probabilius non erant coaevis.

Imagines simplices nonnunquam cognoscuntur ex usu loquendi, alias ex contextu, natura rerum et historia; non tamen semper earum cognitio caret difficultate; nam constat quidem prophetarum consuetudo aliud nominandi et aliud simile indicandi; at saepe dubitatur, utrum res nominata proprie sumenda sit, vel ut imago alterius. In hoc casu attendatur ad contextum dati loci, spiritum religionis, ad oeconomiam revelationis, et quod in uno loco certe habet sensum altiorem, spiritualem; etiam in altero talem habere potest, licet forte contextus illum non tam aperte postulet.

Is. XI. 9 ex contextu liquet, montem sanctum sumi spiritualiter pro regno Messiae; idem patet Is. LVI. 7—8: „Adducam eos in montem sanctum meum etc.“ Simile quid dici potest de ps. XIV.: „Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula et operatur justitiam etc.“ Cum jam in his locis, ut opinor, mons sanctus certe spiritualiter sumitur, in aliis quoque locis simile quid exspectandum est.

Porro scriptores N. F. merito optimi imaginum et typorum interpretes censentur, licet forte nonnunquam accommodationem sequantur; isti proin conferendi sunt. Galat. VI. 16 per *Ισραηλ του Θεου* intelliguntur veri Dei cultores, sive antea ethnici, sive e stirpe Abraham. Non minus Luc. I. 31: „Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum.“ Eodem modo in prophetis A. F. Israel, Jacob etc. sine dubio saepe locum tenet electorum.

Gal. IV. 26 *ἡ ανω Ιερουσαλημ* spiritualiter sumitur pro Ecclesia. Idem fit Hebr. XII. 22: „Sed accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis Jerusalem coelestem.“ Apoc. III. 12: „Et nomen civitatis Dei mei novae Jerusalem, quae descendit de coelo a Deo meo.“ Sic etiam apud prophetas antiquos nonnunquam spiritualiter sumitur, ut Is. LX., qui locus Apoc. XXI. declarari videtur. Forte etiam in ultimis capitibus Ezechielis, ubi Propheta Cap. XLVIII. 35 dicit, ejus nomen mutandum esse in Jehova schamma (Jehova ibidem).

Sicut mons sanctus, Sion, Jerusalem, ita etiam tabernaculum, templum etc. spiritualiter sumuntur. Apoc. III. 2: „Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei et foras non egredietur amplius.“ Babylon in Apoc. est regnum impietatis. Inde sicut Is. XI. certe celebratur Messiae regnum,

ejus felicitas et vocatio gentium, et Cap. XII. gratiarum actio pro hoc beneficio; ita forte Cap. XIII. et XIV. usque ad Vers. 27 casus Babylonis celebratur non tantum historice, sed et typice pro interitu regni seu potentiae impietatis ut in Apocalypsi; certe Joannes Apoc. XVIII. respexit ad Is. XIII. et XIV.

§. 78.

De actionibus symbolicis.

Imaginibus adjungimus actiones symbolicas, quae in prophetis saepe occurrunt, quaeque peraguntur ad res significandas, cum quibus aliquam similitudinem habent. Ezech. XII., a Jehova jussus egreditur Propheta vespere per parietem perfossum et onustus vasis transmigrationis transit per populum ad indicandam sortem, quam habiturus esset Sedecias rex cum incolis Jerusalem. Pro nobis, qui actionem ipsam non videmus, sed legimus, est descriptio actionis significativae.

Significatio nonnunquam per partes in ipsis Bibliis additur. Ezech. V.: Et tu, fili hominis, fac tibi gladium acutum radentem pilos, et assumes eum.... Tertiam partem (capillorum) igni combures in medio civitatis .... et tertiam partem concides gladio ... et tertiam partem disperges in ventum.“ Vers. 12 sequitur interpretatio: „Tertia tui pars peste morietur aut fame consumetur in medio tui, et tertia pars gladio cadet in circuito tuo: tertiam vero partem tui in omnem ventum dispergam.“

Alias significatio actionis symbolicae in sententia subjicitur. Illud Ezech. XII., quod supra adduximus, Vers. 11 explicatur: „Dic: ego portentum vestrum, quomodo feci, sic fiet illis, in transmigrationem et captivitatem ibunt.“

Cognoscitur etiam significatio actionis symbolicae in datis adjunctis ex eo, quia actio quaedam jam notam aliquam significationem habet. Jerem. XXVII. et XXVIII. Propheta jugum (catenas vulg.) ligneum portat in collo. — Mittit juga per legatos Jerosolymae praesentes ad reges. — Frangitur Jeremiae jugum ligneum a falso propheta Chanania. — A Deo jussus ferreum sibi faciendum curat Jeremias. — Horum sensus ab omnibus cognoscebatur et cognoscitur etiam hodiedum sine interpretatione. At quorundam significatio potuit innotescere antiquis, quin nobis nota sit: aliorum forte ipsis Israelitis obscura fuit. Plura in Sect. IV. ubi sensum mediatum considerabimus.

§. 79.

De parabolis.

Singularem attentionem meretur parabolicum dicendi genus, quod in Bibliis N. F. frequentius occurrit. Est autem parabola repraesentatio doctrinae vel eventus per narrationem fictam, quae tamen fieri potuit, quo distinguitur a fabula, ubi talia narrantur, quae fieri non possunt, dum e. g. animalia loquentia inducuntur; hoc tamen discrimen non semper observatur.

Ut ex definitione liquet, narratio non tanquam finis, sed tanquam medium spectanda est ad cogitatus indicandos, qui doctrina parabolae dicuntur, quique ab interprete plerumque sine difficultate inveniuntur; nam nonnunquam fusa interpretatio additur, ut Matth. XIII. de seminante et semine. Alias sensus principalis in sententia subjicitur, ut Luc. XVIII. 9 parabolae de pharisaeo et publicano: „Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur.“

Saepius ex occasione, qua proposita fuit, intelligitur, ut parabola de duobus debitoribus, et de homine, qui in latrones incidit, Luc. VII. 40; X. 30, et aliae. Si vero expressa sensus indicia desunt, considerentur praeter nexum orationis et adjuncta, narrantis verba et indoles narrationis; principia et doctrinae a loquente alibi traditae, ac sanae rationis dictamina; nec unquam supponat interpres, auctorem parabolae sibimet ipsi aut sanae rationi contradicere velle.

Inventa doctrina parabolae quasi sua sponte in oculos incurrit, quaenam in narratione parabolica sint essentialia, et quae ornatus causa tantum adsint, ad augendam forte verisimilitudinem, ad imaginem magis vividam reddendam adeoque attentionem acuendam etc. Quaedam parabolae dici possunt propheticae, si eventum futurum annuntiant, ut Matth. XXI. 33—41 de vinea Domini et aliae.

Nonnunquam pertinet ad finem loquentis, ut veritas, quae nuda offenderet, sub involucro actionis parabolicae aliquatenus lateat, ut Jesus aperte dicit Matth. XIII. 11—18.

Demum notandum est, vocabulum **parabola** (παραβολη) in sacris litteris in sensu latiori sumi, et saepius nihil aliud indicare, quam similitudinem, comparationem etc. uti Hebr. מָשָׁל. Luc. XV. de ove et drachma perditis non sunt nisi similitudines aut comparationes ab agendi ratione vitae communis desumtae; et tamen dicuntur parabolae. In hoc casu ut comparationes aut similitudines considerandae et explicandae sunt.

Fabulae rariores sunt in Bibliis; attamen quaedam occurrunt, ut Judic. IX. 6—21. II. Paral. XXV. 18. De harum interpretatione aliunde nota non opus est, ut loquamur.

§. 80.

Parabolarum utilitas.

Licet Hermeneuticae non sit exhibere utilitatem, sed potius modum inveniendi sensum parabolarum, tamen de illa pauca subjiciam.

Nulla docendi aut illustrandi ratio est magis apta pro hominibus praesertim illitteratis, qui non assueti sunt notionibus abstractis, quam parabola; nam

a. acuit attentionem audientium aut legentium, utpote narratio a rebus cognitis et obviis desumta.

b. Veritatem abstractam accommodat captui hominum sensualium, dum illam proponit spectandam in eventu quodam licet ficto.

c. Facile retinetur in memoria, quo fit, ut mens, etsi sensum non statim percipiat, tamen diutius illam quasi ruminando demum penitus intelligat.

d. Paucis lineis nonnunquam veritatem summi momenti melius ob oculos ponit, quam integri tractatus philosophici fecissent. Talis est parabola de pharisaeo et publicano.

e. Demum eripit nobis consensum, antequam mali affectus et praejudicia surgere et judicium nostrum corrumpere valent. Hujus exemplum nobis praebet illa II. Reg. XII., in qua Nathan de ove pauperis Davidem perduxit ad agnitionem delicti sui et poenitentiam. Quodsi Propheta regem aperte objurgasset, forte ex aedibus regiis ejectus fuisset.

§. 81.

De gnomico dicendi genere.

Orientalibus familiare est uti sententiis, quae a Graecis γνωμαι dicuntur, unde hoc dicendi genus gnomicum no–

minatur. Tales inveniuntur praesertim in libro Proverbiorum et Siracidis. Pleraeque sententiae non sunt, quam regulae prudentiae collectae ab experientia, regulae morales ad informandos mores, aut breves religionis doctrinae ad inculcandam pietatem erga Deum etc. In his interpres plerumque nullam difficultatem invenit; duo tamen notanda sunt:

a. Saepius in sententiis sine restrictione exprimitur, quod nonnisi cum restrictione valet; e. g. illud Epimenidis; Tit. I. 12: „Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri," quod certe non de omnibus valuit. Item Luc. XVI. 15: „Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum." Quare videndum est, ne sententias in majori extensione intelligamus, quam in qua juxta rei naturam sumi debent.

b. Contra aliud genus sententiarum amatum ab Orientalibus est, ubi per singularia veritatem universalem exprimunt. Prov. XV. 1: „Statera dolosa abominatio est apud Dominum, et pondus aequum voluntas ejus." Statera dolosa locum tenet cujuscunque medii, quo alteri injuria infertur: contra pondus aequum tenet locum omnium, quibus cuivis tribuimus, quod aequum et justum est.

Quare tenenda est regula: Si in sententiis aliquid de singularibus asseritur, quod de universis valet, sententia singulariter pronuntiata generaliter intelligenda est.

Huc referrem et Prov. III. 9: „Honora Dominum de tua substantia et de primitiis omnium frugum tuarum da ei, et implebuntur horrea tua saturitate et vino torcularia tua redundabunt." Decimae collatae Deo vices gerere videntur omnium officiorum: et horrea impleta ac torcularia vino redundantia locum tenent benedictionis divinae in hac vita, et cur non etiam in altera?

Alias non responderet dictum hoc rationi, nec veritatibus alibi traditis, juxta quas Deus non est contentus donis collatis; nec horrea impleta et torcularia vino redundantia ad hominem felicem et beatum reddendum sufficiunt.

§. 82.

De dictis per singularia.

Non tantum in sententiis, sed etiam alias in Bibliis afferuntur singularia pro universis, singulares causae pro omnibus, singulares effectus pro omnibus, singularia officia pro omnibus etc. Talia quidem in cunctis libris occurrunt, sed non tam frequenter ut in Bibliis. Jacob. I. 27: „Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc seculo.“ Illud „visitare pupillos et viduas“ locum tenet omnium officiorum saltem charitatis. In formula illa saepius redeunte „terra, quae fluit lacte et melle,“ lac et mel adsunt pro omnibus bonis. Inde sensus est: terra felix incolas suos beatos reddens.

Luc. III. 10: „Et interrogabant eum (Joannem B.) turbae dicentes: Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti, et qui habet escas, similiter faciat.“ His singularibus sine dubio omnis generis virtutes morales innuit. Tale est etiam psalm. XC. 13: „Super aspidem et basiliscum ambulabis et conculcabis leonem et draconem.“

Pro hujusmodi dictis per singularia regula antea pro sententiis allata adhibenda est, nempe: Si dictum per singularia valet de universis, indicium sit, singulariter dicta generaliter esse intelligenda. Ps. CXXVI. 2: Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.“

Quod valet de custodia civitatis, de omnibus curis et conaminibus humanis et valet et innuitur.

Ad eruendam veritatem universalem ex dicto singulari nonnunquam opus est quadam ingenii subtilitate; plerumque sine omni difficultate detegitur.

§. 83.

De scribendi ratione N. F. in specie.

Cultura litteraria virorum, quibus libri N. T. originem debent, ut constat, partim nulla, partim tenuis, partim ut illa Pauli, nonnihil alius generis fuit, quam notris temporibus in scriptoribus esse solet. Nihilominus singulari quadam simplicitate ita excellunt, ut ipse narrandi modus veritatem rei narratae quasi praeseferat. Praeterea scripta sua ad proximam tantum occasionem destinarunt, atque huic accommodarunt usi sermone inter fideles recepto. — Proin non est mirandum, si in his desideratur stilus ad rigorem logicum et 'ακριβειάν scholae compositus.

Hoc ita esse innumeris exemplis demonstrari posset; at pauca tantum afferre juvat; plura videbimus in compositione enantiophanorum Sect. IV. Non tamen eo consilio dicta sint, ut scripta apostolica vilipendamus, sed tantum, ne illis finem tribuamus, ad quem nec ab auctoribus ipsis composita, nec nobis tradita ab Ecclesia, nec ex indole sua apta sunt, et ut perspiciamus errorem eorum, qui traditionem et auctoritatem magisterii ecclesiastici a divino religionis auctore constituti rejiciunt.

De ipso S. Paulo licet erudito S. Chrysostomus Homil. IX. in epist. ad Philipp. II. dicit: *Τα πολλα κατα την κοινην συνηθειαν των ακουοντων ὁ Παυλος φθεγγεται, και ου παυταχου φιλοσοφει.* Afferimus exempla:

I. Cor. VI. 8. legimus: „Omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.“ Sententia haec est omnino restringenda, nec plus indicare potest quam pleraque peccata non spectare ad corpus proprium ita ut fornicatio; nam quis negaverit, gulam, mutilationem, suicidium etc. esse peccata in proprium corpus? — Gal. II. 11 ait Paulus ad Petrum: „Si tu, cum Judaeus sis, gentiliter vivis et non judaice, quomodo gentes cogis judaizare?“ Si quis rem ipsam considerat, quam reprehendit, facile intelliget, illud cogis αναγκαζεις admodum esse restringendum. —

Rom. IV. 4—5: „Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.“ Si Apostolus ad ακριβειαν scholae loquutus esset, ejus verba forte ita sonarent: Quando quis operibus suis meretur mercedem, non datur ipsi ex gratia, sed ex debito: si vero operibus suis non meretur mercedem aliquam, ut est justitia coram Deo, sed fide eam acquirit, in hoc casu fides ei reputatur per gratiam ad justitiam. Noluit Apostolus excludere bona opera, ut verba sonant, sed voluit affirmare necessitatem gratiae, quae per fidem obtinetur, non tantum in antea impiis, sed etiam in justis, ut justi sint coram Deo, et digni praemiis divinis, siquidem inter merita humana et praemia divina non datur proportio. — Sine praevia rei cognitione aliunde hausta locus male intelligi potest et male intellectus est.

Coloss. I. 6 et 23 scribit idem Apostolus, Evangelium praedicatum esse „in universo mundo, in universa creatura, quae sub coelo est.“ Quam parum haec in rigore intelligenda sint, omnibus constat. Talia passim occurrunt.

Si consideramus, quomodo Evangelistae eandem rem

narrent, optime cognoscimus, eorum stilum non esse accuratum; Matth. XXVI. 8: „Discipuli indignati sunt dicentes: Ut quid perditio haec? Potuit enim istud venundari multo, et dari pauperibus." At Joann. XII. 4 idem ita narrat: „Dixit ergo unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes .... Quare hoc unguentum non vaeniit trecentis denariis et datum est egenis?"

I. Joann. IV. 2: „In hoc cognoscitur spiritus Dei: omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est." His verbis Apostolus aliud non voluit dicere, quam: Ut quis sit spiritus Dei (magister Deo placens), debet confiteri Christi naturam humanam; aut potius: Qui non confitetur humanam Christi naturam, non placet Deo. Si dicta sumerentur, uti sonant, sine dubio falsa essent.

Act. II. 38 ait Petrus: „Baptizetur unusquisque in nomine Jesu Christi." Hic et in aliis locis hujus libri videtur indicari, ac si baptismus in nomine Jesu Christi conferendus sit, quod tamen non ita esse scimus ex Matth. XXVIII. 19. Act. I. 18 *Ουτος μεν ουν εκτησατο χωριον εκ μισθου της αδικιας*: nisi haberemus locum Matth. XXVII. 4—8, expressionem Lucae *εκτησατο* sine dubio aliter intelligeremus, quam intelligenda est. In his quidem duobus locis dictio minus accurata, quae primis lectoribus satis clara fuerit, ex locis parallelis corrigi et recte intelligi potest: hoc vero semper fieri posse, est assertum sine fundamento, ut nihil dicam de eo, quod praevia jam cognitio rei requiratur, ut sciamus, quae expressio sit accurata, et quae minus accurata.

Holdenius doctor Sorbonicus in divinae fidei Analys. l. I. c. 5 scribit: „Veritates philosophicae nec probandae, nec improbandae sunt ex puris nudisque scripturae verbis; quamvis enim nullam complectatur scriptura falsitatem, attamen ipsius loquendi modus ut plurimum vulgaris est,

atque ad communem potius, quam ad loquelae proprietatem et rigorem sermonis adaptatus est." His non repugno; sed illud observo, similem loquendi modum non tantum in rebus philosophicis, sed etiam religiosis inveniri. At haec imperfectio, ut quibusdam videtur, penitus evanescit, si Biblia ex suo fine spectantur; imo confert ad tollendam opinionem de fine eorum, quae est mater omnium haeresum.

Caeterum jam ex dictis colligitur, quod per decursum clarius patebit, Hermeneuticam non habere media nos semper ab erroribus conservandi, et fieri posse, ut systematice nos in errores deducat, si Bibliis finem tribuimus, ad quem nec scripta nec tradita nobis sunt.

§. 84.

Apostoli uti sunt accommodationibus.

Accommodationibus usos esse apostolos, nemo sanus negaverit; et quidem primo, ut de adplicationibus textuum A. F. nihil dicamus, adhibuerunt accommodationem **paedagogicam**, i. e. attemporarunt doctrinam suam infirmo captui eorum, quos instruxerunt, ita ut omitterent, ad quae capienda vel implenda discipuli nondum erant praeparati. Inde conclusio ab his locis ad absolutam religionis doctrinam est erronea. Hoc profitetur ipse Paulus I. Cor. III. 1—2: „Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis; adhuc enim carnales estis." Item Hebr. V. 12—14. Ipse Dominus hac accommodatione, ut quivis bonus magister, usus est praesertim de natura sua divina, et hujus necessitatem innuere videtur Matth. IX. 16—17.

Non minus apostoli usi sunt accommodatione **morali**, quae est positio actionis non praescriptae, vel omissio actionis licitae ob conscientiam aliorum. Talis fuit circumcisio Timothei Act. XVI. 3, et illud, quod occurrit Act. XXI. 20 seq.: item quod legimus de Petro Gal. II. 12, et quod Paulus ipse fatetur variis in locis de accommodatione sua inter Judaeos et gentiles. Eadem negativa usum fuisse Paulum patet ex I. Cor. VIII. 13: „Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo in aeternum, ne fratrem meum scandalizem."

Denique accommodationem **negative dogmaticam** adhibuerunt apostoli, quae consistit in eo, ut errores aliorum aut omnino non tangantur pro tempore, aut nonnisi indirecte refutentur; sic observationem legalium Mosis in Judaeo-christianis tolerarunt; eadem usi sunt in Conc. Hieros. Act. XV.

§. 85.

Non vero accommodatione positive dogmatica.

At nostris temporibus surrexerunt nonnulli, qui non tantum iis modis, de quibus diximus, apostolos se accommodasse defendunt, sed etiam **positive** dogmatice, ita ut varias doctrinas alienas et erroneas coaevorum tanquam suas et veras tractarent et inculcarent. Ex quo inferunt, interpretationem historicam non sufficere ad inveniendas apostolorum doctrinas, sed accedere debere philosophicam, in qua ratio tanquam supremum interpretationis criterium constituitur, et omnia ea inter temporis praejudicia rejiciuntur, quae cum ratione non convenire videntur. Haec omnia defendunt in hypothesi certe falsa, apostolos non voluisse docere, nisi religionem naturalem.

Assertum hoc, quo religionem positivam evertere intendunt, variis argumentis confirmare volunt:

a. Dicunt: Necessitate coacti apostoli se accommodarunt positive dogmatice, quia aliis doctrinis suis obstaculum posuissent, nisi ita se accommodassent.

At non videmus hujusmodi necessitatem modo positivo tradendi falsas doctrinas; nec ratio apparet, cur quosdam errores refutarent, alios vero defenderent; sicut enim negarunt regnum Messiae esse naturae mundanae; sic etiam negare potuissent corporum resurrectionem; sicut docuerunt observationem legalium Mosis non amplius esse necessariam, sic etiam docere potuissent, Jesum non esse, nisi supremi Numinis legatum; sicut sustulerunt parietem intermedium inter Judaeos et gentiles, sic etiam opiniones de peccato originali, de judicio ultimo etc. e medio tollere potuissent.

Porro siquis quasi coactus aliorum opinionibus se accommodaret, eas forte simpliciter profiteretur, non vero easdem exornaret et amplificaret, atque etiam non provocatus ubique in scenam proferret aliisque inculcaret. Qui haec facit, satis declarat, se ad opiniones illas profitendas non fuisse coactum. Atqui talia a Jesu ipso ejusque apostolis facta esse constat; doctrinas enim de redemtione, de baptismo in remissionem peccatorum, aliasque multas inculcarunt, quas ratio sibi relicta ignorat.

b. Proferunt loca Bibliorum, in quibus, ut volunt, apostoli fatentur, se usos esse accommodatione positive dogmatica, ut I. Cor. II. 6 et III. 1, ubi Apostolus ait, se non potuisse fratribus imperfectis praebere solidum cibum, sed lac ut infantibus etc.

Sed haec loca aperte non agunt nisi de accommodatione paedagogica vel negative dogmatica, de quibus diximus. Item provocant ad II. Cor. III. 6, 15 et 18. Haec

vero valent in oppositione cum Judaismo; praerogativa religionis christianae prae lege mosaica innuitur, non accommodatio quaedam.

c. Praesertim urgent I. Cor. IX. 20: „Et factus sum Judaeis tanquam Judaeus, ut Judaeos lucrarer," cui addunt ex Vers. 22: „Infirmis infirmus factus sum."

At si spectatur materia substrata, in oculos incurrit per totum caput sermonem esse de incommodis, quibus se exposuit, et de commodis, quibus renuntiavit Apostolus, in favorem Evangelii, nequaquam vero de placitis aut erroribus coaevorum; scilicet inter Judaeos versans molestias legis mosaicae in se suscepit, ut eo facilius ad Evangelium praedicandum aditum inveniret. Inter gentiles renuntiavit servitio mulieris christianae, et labore plerumque sibi victum quaesivit, necui offensionem praeberet, aut aliquem a fide amplectenda averteret, sed potius alliceret. Quare etiam verba: „Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem," sic interpretanda sunt: Inter eos, qui nondum satis illustrati erant religionis luce, ita me gessi, ac si ipse quoque talis essem, ne obstaculum ponerem, quominus religionem Christi amplecterentur, aut, si illam jam amplexi erant, ne in fide sua infirma immature perturbarentur, (ut monet ad Rom. XIV. et XV.) atque ita in doctrinis tradendis eorum imbecillitati me accomodavi.

In his omnibus non aliae accommodationes occurrunt, quam quas ultro fatemur.

§. 86.

Accommodatio positive dogmatica positivis argumentis rejicitur.

Si consideramus characterem apostolurum, exemplum et mandata divini magistri, et scripta, quae reliquerunt;

nihil certius esse videtur, quam apostolos non sibi conscios fuisse meliorum doctrinarum, quam quas docendo professi sunt; nam

a. ubique se ostendunt tanquam viros probos, recti verique tenaces, qui nec minis, nec verberibus, nec ulla alia poena physica impediri poterant, quo minus agerent et praedicarent, quod justum et verum cognoverunt Act. V. 29 et 41; qui gaudebant, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.

Jam vero erroneas opiniones tanquam veras defendere aliisque inculcare, ne humano quidem doctori conceditur; quanto minus illis, qui auctoritate divina docent! Hi pro auctoritate, qua gaudent, alios in erroribus ita confirmarent, ut nonnisi rejecta penitus eorum auctoritate ab his revocari possent.

b. A Christo Domino longe alia edocti erant, qui Joann. VI. potius permisit, ut discipuli quidam discederent, quam ut doctrinam suam de carne sua manducanda mitigaret. Matth. XV. 12—13, cum Pharisaei doctrina Domini offenderentur, disertis verbis dixit, omnem plantam eradicandam esse, quam Pater non plantasset; et Matth. X. 28 aperte declarat, nec persequutiones nec mortem ipsam timendam esse, quominus suam doctrinam aperte et libere annuntiarent; cui mandato quam bene satisfecerint apostoli, omnibus constat. Et quis sibi persuadeat, providentiam divinam doctrinas quoad magnam partem falsas miraculis comprobare voluisse? —

c. Apostolorum veracitas non minus patet e scriptis, quae ipsi ac eorum comites reliquerunt. Act. XX. 20—31 Paulus provocat ad ipsos presbyteros ecclesiae ephesinae, quibus notum esset, quomodo nihil subtraxerit utilium, quo minus annuntiaret ipsis et doceret eos publice et per domos etc.

I. Tim. VI. 20 et II. Tim. I. 13 inculeat filio suo, ut presbyteris ecclesiae ephesinae loco citato, ut traditam doctrinam ab omni errore immunem conservarent. Idem legimus Tit. I. 8—9 et sic passim. Gal. I. 8—9 ait: „Sed licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis, praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit!“ Gal. II. 14 resistit Petro prae metu forte nimio, ne ejus agendi ratio errori occasionem praeberet.

Qui ita loquitur ac ita se gerit, is profecto satis declarat se non meliora in mente retinuisse, quam quae verbis docuisset.

Idem testantur scripta Joannis. Evangelium composuit contra errores pullulantes in confirmationem doctrinae ecclesiis traditae. In I. epist. II. 18—28 et IV. 1—3, item in tota epistola secunda se opponit novae cuicunque doctrinae, hortaturque fideles, ut iis, quae didicissent, firmiter inhaereant.

Aequalem intentionem manifestant Petri, Jacobi et Judae epistolae, quae omnes se opponunt theoreticis et practicis erroribus contra traditam doctrinam. Quare ad oculum patet apostolos nequaquam usos esse accomodatione positive dogmatica.

§. 87.

De argumentis ad hominem.

Cum teste experientia difficile sit eripere hominibus opiniones, quas diu tenuerunt, licet falsas et erroneas; oratores profani, jurisconsulti et alii, qui eos, ad quos orationem dirigunt, ad certum finem impellere volunt, saepe non tam argumentis objectivis, quam subjectivis praejudiciis et persuasione minus fundata ad scopum suum uti consueverunt. In hoc jam casu ex concessis disputare seu argu-

mentum ad hominem (κατ' ανϑρωπον) construere dicuntur, ubi per se patet, ex tali argumento ad sensa loquentis concludi non posse.

Nostris temporibus quaestio orta est, utrum etiam Jesus et apostoli hujusmodi argumenta adhibuerint? — Alii concedunt, alii negant.

Ut de hac re judicium ferre valeamus, discrimen observandum est, quod intercedit inter Jesum ejusque apostolos, et inter oratores ac jurisconsultos. Horum finis plerumque non est nisi vincere causa, atque hunc in finem auditores et judices eo perducere, quo eos perductos esse volunt. Utrum finem hunc erroneis aliorum opinionibus, an veris rationibus solidisque argumentis consequantur, ipsi penitus indifferentes manent.

Contra Jesus et apostoli nonnisi vera doctrina homines imbuere intenderunt. Quare distinguimus inter doctrinam, quam tradunt, et modum tradendi et illustrandi. Ipsa doctrina, quam veram declarant et inculcant, nunquam ut argumentum ad hominem consideranda est; possunt tamen adesse accommodationes, de quibus diximus. In modo autem tradendi hinc inde utuntur argumentis, quae apta videbantur pro illo casu, in quo scripserunt aut loquuti sunt, licet per se firmum argumentum non efficiant.

Nonnunquam enim adversarios propriis armis affligere volebant; sic Judas in epistola sua per citata ex apocryphis A.F. invehitur in sectarios, quia ipsi his armis probabilius usi sunt. Inde Ecclesia quidem Judae epistolam canonicam agnoscit, non vero apocrypha, ex quibus citata hausit. Alias declarationis aut illustrationis causa afferunt si non argumenta ad hominem, saltem minus stringentia. I. Cor. XV. 19 Paulus de resurrectione mortuorum agens ait: „Alioquin quid facerent, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid baptizantur pro illis?“ Ex

his non vellem inferre Apostolum approbasse baptismum pro mortuis, licet eodem resurrectionem mortuorum confirmet.

Hoc spectant etiam citata quaedam A. F., quae aut a Judaeis in certo quodam sensu intellecta, aut ab apostolis ad rem suam accommodata sunt, ut Eph. IV. 8—9 etc. In his recordandum est apostolos scripta sua nonnisi ad proximam occasionem destinasse; proin ex hoc consilio et dispositione eorum, quibus scribunt, judicanda veniunt. Quoad ipsam doctrinam, quod non probat citatum, probat auctoritas citantis.

Demum observo et illud, licet proprie ad argumenta ad hominem non spectet: Nonnunquam auctores sacri narrant et loquuntur ad communem loquendi modum, quin proprium judicium de re manifestent. I. Macchab. VIII. 1 legimus: „Et audivit Judas nomen Romanorum, quia sunt potentes viribus etc.“ E modo narrandi liquet narrari talia, quae fama in Orientem detulerat, atque scriptorem non tam testari veritatem rerum, quae in sequentibus occurrunt, quam famae, quae haec sparserat in Palaestina. Sic forte intelligendum est Joann. V. 4.

Ex his tamen omnibus nihil periculi religioni accedit, dummodo libri sacri ex suo fine spectentur, et non tribuatur ipsis scopus, de quo apostoli ipsi non cogitarunt, et dummodo divina dispositio ob oculos habeatur, quam Christus per se aut per apostolos ad religionem suam conservandam in Ecclesia constituit, de quo accuratius dicemus Sect. IV.

§. 88.

De mythico dicendi genere.

Ad Sectionem de cultura etiam pertinere videtur quaestio: Utrum mythica loquendi vel repraesentandi ratio ab auctoribus sacris adhibita sit.

Ut constat, jam antiquitus Stoici et postea alii philosophi gentiles de narrationibus mythologicis asserebant, ac si tantum inventae essent tanquam involucra, quibus doctrinae philosophicae, physicae et morales traderentur, quin narratis rebus unquam fides historica habita sit.

At haec Stoicorum interpretatió allegorica jam refutata est a Cicerone in libro III. de natura deorum, et facile observatur, eandem posterioribus temporibus e studio excusandi absurditates mythologicas ortam in natura rudium hominum minime fundatam esse, qui infantium more narrationes eventuum mirabilium, licet incredibilium, pro veris et historicis habent.

Nihilominus haec interpretatio a modernis quibusdam iterum ad vitam revocatur, ita tamen, ut fabulas mythos, et allegorias philosophemata appellent; imo sunt, qui hanc interpretandi rationem ad ipsa Biblia transferant, atque ita facta historica tollant (§. 23.); quare merito de mythis agimus.

§. 89.

De mythis philosophicis.

Vocabulum μυθος apud veteres modo fabulam, modo narrationem fabulosam significat. Hoc autem loco mythos, quem philosophicum nominare vellem, ex mente quorundam est repraesentatio ideae alicujus vel explicatio status in forma historiae. Inde refertur aut ad ideam repraesentandam, aut ad factum sive statum explicandum. Siquis dicere vellet, per narrationem de Phaetonte currum solarem male regente repraesentari tantum ideam cautae prudentiae, ne nimia audeamus; eventum vero ipsum nunquam tanquam verum habitum esse; — aut siquis assereret, fictionem de Tereo et Progne esse tantum inventam ad explicandum,

cur hirundines in domibus hominum nidos suos facere et societatem humanam amare soleant: in primo exemplo haberetur repraesentatio ideae seu doctrinae alicujus; in secundo explicatio facti.

Discrimen inter mythicum, et inter parabolicum ac symbolicum dicendi genus in eo constituunt, ut primum ad solas ideas repraesentandas aut explicationem factorum restringatur, latius vero pateant symbola et parabolae. Conveniunt autem, ut volunt, mythi cum parabolis in eo, ut narratio nonnisi tanquam medium ad dictum finem spectetur, veritas vero historica narrationis nequaquam intendatur. Ita rem concipiunt mythorum patroni.

At historia docet, homines in statu infantiae portenta mythologica tanquam vera facta credidisse, quae postea poetae, ut Homerus, Ovidius et alii versibus exornarunt; nec philosophemata in illam aetatem cadunt, ex qua narrationes mythologicae veniunt. Inde mythi isti in ipsis auctoribus profanis nonnisi imaginarii esse videntur. His tamen non negamus symbolicum repraesentandi modum Orientalium, quem nonnulli etiam m y t h i c u m appellant, et cujus vestigia ad Graecos venisse creduntur.

Omissis vero his, quae proprie huc non spectant, quaestio nobis solvenda est, an in Bibliis mythi occurrant; quae eo accuratius discutienda est, cum his sine ratione sufficiente admissis vera facta historica in fictiones converterentur, et quaecunque minus placent, hoc artificio e numero rerum gestarum eliminari possent, cui studio mythi in Bibliis sine dubio originem debent. Quare sic statuimus: Ad mythum philosophicum statuendum nequaquam sufficit ea narrationis proprietas, ut per illam veritas quaedam aut doctrina repraesentetur, vel status quidam seu factum explicetur; etenim haec proprietas verae quoque narrationi non solum convenire potest, sed etiam solet, imo et debet.

Historia enim, ut ait Cicero, est testis temporum, lux veritatis, vitae memoria, magistra vitae, nuntia vestutatis.

Cum omnia divina providentia moralis mundi Rectoris reguntur, naturae consentaneum est, ut in rerum cursu et eventibus humanis ejusdem providentiae ac sapientiae vestigia reperiantur. Historia eventuum nostri temporis praebet egregias doctrinas; num propterea mythus? — Nec occurrit ratio, cur Deus non utatur factis historicis ad veritates non sensuales hominibus repraesentandas, sicut per egregiam mundi machinam, per siderum cursum attributa sua manifestat.

Quod attinet explicationem status, iste modo rationi satisfaciente nonnisi per narrationem eventus veri, ex quo ortus est, explicari potest; alias manet inane explicandi conamen, vel ad summum conjectura, quae ut verum factum historicum proponi non debet. Si narratio de lapsu primorum parentum non esset quoad substantiam vere historica, quis sibi inde statum perversum naturae hominum explicaverit?

Quare narrationem nullo modo ad mythos rejicere, aut in fictis reponere licet, nisi ubi aactor ipse indicat, ut in parabolis, non aliud ipsi in narratione consilium fuisse, quam ut veritatem aliquam supersensualem ad captum hominum deducat, vel statum aliquem explicare tentet, vel si alia adsunt fictionis indicia. Hoc posito mythus philosophicus tam parum, ac parabolae et fabulae dignitatem Scripturae tolleret.

§. 90.

Alia asserta de mythis biblicis refutantur.

Non semper mythis certus hujusmodi finis tribuitur, ut iis, de quibus diximus: plerumque per mythos intelli-

guntur traditiones antiquae, corruptae et incertae ad priscum cogitandi et loquendi morem expressa. Dividi possunt in physicos, historicos et religiosos, prout objecta naturae physicae, historiae aut religionis respiciunt.

Tales libris antiquis Hebraeorum inesse asserunt ex analogia cum aliis populis, qui omnes teste Varrone habebant aetatem obscuritatis, cui successit aetas mythica, ubi fictiones veris factis immixtae occurrunt, demum aetatem historicam. Quae fata cum omnibus populis fuerint communia, non alia exspectanda esse volunt de populo Hebraeorum.

Non negamus, apud omnes reliquas nationes triplicem hanc aetatem a Varrone recte distingui; sed idem valere de antiquis Hebraeorum libris nullo modo concedimus; nam in his non tantum nulla obscuritas, sed potius prima principia omnis sanae philosophiae et omnis sanae religionis statim ab initio inveniuntur: In principio creavit Deus coelum et terram. Origo omnium rerum modo rationi maxime consentaneo a voluntate et sapientia Entis aeterni repetitur, quo jubente omnia existere incipiunt, quo imperante: Fiat lux! facta ex lux.

Libri Hebraeorum licet quoad aetatem longe priores, quam libri aliarum nationum, non a polytheismo ordiuntur, qui uberrimus est mythorum et fabularum fons; non referunt deorum dearumque connubia et adulteria non tantum inter se, sed etiam cum hominibus utriusque sexus; non bella, per quae de coelo pulsi sunt, qui dii immortales habiti erant; nec mutantur in illis homines in aves et lupos, nec lapides in homines, nec dentes in exercitum etc. Cum jam tanta sit differentia inter libros Hebraeorum antiquos et aliarum nationum, quanta est inter lucem et tenebras, sane immerito cum his in eandem classem rejiciuntur.

Adversarii ex eo potissimum judicant libris Hebraeo-

rum quoque inesse mythos, quia plura miraculosa ibi leguntur; haec enim innuere dicunt ignorantiam vulgi eventus naturales causae non naturali adscribentis.

Haec assertio aliquam veritatis speciem haberet, si haec miraculosa ejusdem generis essent, uti prodigia et portenta gentilium: at ab his summopere differunt; nam

a. in miraculosis biblicis omnia magna, Deo digna inveniuntur; observatur generalis character: Deus a natura, creator ab opere creato semper distinguitur, nec homo divinam naturam induit. Jehova apparet ubique spiritualis, infinite sapiens, potens et sanctus etc., nunquam talis, qualis Jupiter fato subjectus, cui adeo nefanda affinxerunt, quae facere homines probi erubescerent.

b. Mythica commenta quo sunt vetustiora, eo frequentiora et magis paradoxa, et quo magis excolebantur populi, eo minus ficta historicis adjecta videmus: at antiquissima monumenta Hebraeorum continent pauca miraculosa, simpliciter breviterque narrant, quae in opus ingentis molis excrescere potuissent, si auctor consilium habuisset genuinis spuria, fictis vera, certis mythica adjiciendi. Prima sex capita Geneseos spatium 1656 annorum complectuntur. Posteriori vero aetate plura miraculosa occurrunt, temporibus Abrahae, Mosis, regum idololatrarum et apostolorum, ubi ad finem altiorem necessaria fuerunt. Inde

c. possumus assignare finem Deo dignum, quem miracula biblica habuerunt, scilicet ut veri Dei cognitio et cultus inter homines conservaretur, majora paulatim incrementa caperet, et demum in salutem generis humani remotis idololatriae tenebris per terrarum orbem propagaretur. Jam illis ipsis temporibus, quibus plura miraculosa leguntur, ad finem hunc necessaria fuerunt. Nihil tale de portentis gentilium dici potest; proin merito ut haec ignorantiae, ita illa influxui divino tribuimus.

§. 91.

Negantur in specie mythi physici.

Operae pretium esse videtur, ut praecipuas mythorum species consideremus, quae quidem libris gentilium, non vero Hebraeorum insunt. Si mythi physici Bibliis inessent, in iis praesertim locis occurrere deberent, ubi inventio rerum novarum, aut artium narratur; ibi enim intellectus humanus facile decipi potuisset ita, ut sibi persuaderet, res et artes antea incognitas ab ente altiori originem sumsisse; unde gentiles illarum inventionem ad deos deasve aut semideos referunt.

Verum nec in hujus generis locis mythorum vestigia apparent, imo in ipso mundi exordio physica observatio legitur, quamcunque plantam et quodcunque animal suae propagationis semen in semetipso habere; et dum mundi inundatio describitur, immensitas aquarum a causis mere naturalibus repetitur. Rei agrariae et pecuariae initia aeque simplici modo exponuntur: Abel primus fuit ovium pastor; Cain primus, qui agros coluit. I. Mos. IV. 2. Simili modo refertur inventio artium. Jubal fuit pater canentium cithara et organo. Sella genuit Tubalcain, qui fuit malleator et faber in cuncto opere aeris et ferri. Genes. IV. 20—22. Ex hoc, ut nemo negat, fabula fecit Vulcanum, et in ipso optime cognosci potest discrimen inter narrationem historicam, ut est in s. litteris, et mythicam, uti habetur in mythologia. De prima vini cultura fit mentio Genes. IX. 10, verbis non minus simplicibus: „Noe vir agricola coepit terram exercere et plantavit vineam.“ Nullibi apparet nec Pan, nec Ceres, nec Apollo nec Bacchus etc.

Maximam denique admirationem meretur differentia, quam invenimus inter libros Hebraeorum et aliarum gen-

tium quoad rem astronomicam; constat enim, antiquitatem et maxime Orientem hoc vitio laborasse, ut constellationum interpretationi operam daret, et sidera tanquam divina numina coleret; quae opinio a philosophis ipsis tanquam vera sapientia considerabatur, ut ait Balbus nomine Stoicorum apud Ciceronem de natura deorum (Lib. II. 16): „Quae (astra) qui videat, non indocte solum, verum etiam impie faciat, si deos esse neget“ .... Esse igitur „deos ita perspicuum est, ut qui id neget, vix eum sanae mentis existimem.“

Tantum vero abest, ut Biblia V. T. hunc errorem promoveant, ut eum potius impugnent non aliter, quam reliquas idololatriae species. Jeremias X. 2 monet coaetaneos, ne coeli signa expavescant, quae terrorem incutiant ethnicis. Conferatur Jerem. XIX. 13. IV. Reg. XXIII. 5. In libro Job de rebus physicis et astris tam sapienter disseritur, ut hodierni physici et astronomi vix dignius disserere valeant.

Alius error gentilium quoad rem astronomicam consistebat in eo, ut et homines et res inter sidera referrent, id quod globus coelestis nominibus constellationum satis testatur. At in libris Hebraeorum de his deliriis nec minimum vestigium occurrit.

§. 92.

Negantur mythi historici.

Non leviora argumenta habemus negandi sacris litteris inesse mythos historicos, cujus rei praecipua documenta sunt genealogia, chronologia et geographia.

Inprimis genealogia biblica non tantum non est mythica, sed prorsus antimythica dici debet, cum principia

traduntur, quae genealogiam mythicam non admittunt. Ubique praesupponitur tanquam veritas evidens, naturam divinam esse perfecte spiritualem ac simplicem — quod alii populi ad unum omnes ignorarunt. Quare origines fundatorum civitatum, heroum, principumque ex genere deorum deducunt; imo in Graecia vix fuit nobilis familia, quae originem suam non traheret ex quodam deorum dearumve.

De hac insania historiae Hebraeorum nihil aspersum invenitur. Primus generis humani pater Adam homo est, et homo tantum vocatur, non genitus a Deo, sed formatus e limo terrae, et animatus per spiraculum vitae, quod ipsi inspiravit Deus; Genes. II. 7. Nemrod potentissimus venator vocatur, sed tantum homo; Genes. X. 9. Nec Abraham, nec Moses, nec reges aut prophetae alii fuerunt, quam homines ab hominibus geniti.

Aeque parum mythica est chronologia V. T., quae ubique non aliunde quam ex historia repetitur: contra annales Chinensium, Aegyptiorum aliarumque nationum antiquitatem mundi non ex historia solum comprobant, sed ex astrologicis somniis divinare tentarunt, atque ita quoad magnam partem fabulosi nonnisi e libris Hebraeorum aliquid lucis accipiunt. Ipse Confucius, qui 551 annis ante Christum natus est, fatetur, antiquissimam populi sui historiam ob defectum genuini historici documenti vix ullam fidem mereri *).

Equidem religionis adversarii contra chronologiam mosaicam objiciunt, mundum debere esse multo antiquiorem, quam est juxta narrationem Geneseos; quod ex reliquiis montium ignivomorum inferre conantur ita ratiocinantes: Tempore Thucydidis montis Aetnae ignes urbem Siciliae,

---

*) Stolberg's Geschichte der Religion Jesu Chr. Erster Band, erste Beilage.

quae Naxos dicebatur, destruxerunt, et usque ad hodiernum diem nulla vegetatio in eodem loco invenitur: ex quo pronum est, inquiunt, concludere aetatem mundi ultra mosaicam esse extendendam, quia in multis locis, ubi plena vegetatio ab antiquissimis temporibus adest, vestigia montium ignivomorum deprehenduntur.

Verum teste illustri comite de Stolberg, qui ipse agros circa montem Aetnam et Vesuvium inspexerat, loca hujus eruptionibus obtecta post 25 annos jam iterum vegetationem aliquam receperunt. Materia projecta, quae lava dicitur, serius aut citius, ut videtur, ad vegetationem apta redditur pro diversa natura rerum, ex quibus coaluit. Quare ex his neque pro, neque contra mundi aetatem aliquid inferri potest.

Caeterum clarissimus de Luc auctor gallicus, qui 50 vitae suae annos studio rerum physicarum insumsit, in suis operibus fidem facit, naturam terrae mirifice cum revelatione divina consentire, et ex aetate mundi, qualem Moses describit, omnes omnino naturae proprietates explicari posse. Ostendit in suo opere*), faciem mundi hodiernam ab illa, qualis fuit ante diluvium, omnino esse aliam, nempe maria nunc occupare locum terrae antiquae, et hodiernam continentem olim sub aquis fuisse. Cacumina montium hodiernorum juxta de Luc sunt insulae maris antiqui, et hodiernae insulae olim fuerunt cacumina montium. Ex his intelligimus, cur montes nunc usque ad media segmenta e calce constent, congeriesque cadaverum cum

*) 1. Lettres physiques et morales sur l'histoire de la terre et de l'homme adressées à la Reine de la Grande-Bretagne. Paris 1779. Et 2. Lettres sur l'histoire physique de la terre, adressées a Mr. le professeur Blumenbach 1778. Stolberg's Geschichte der Religion Jesu Chr. Erster Theil, erste und zweyte Beilage.

marinorum, tum terrestrium contineant, a quibus corporibus vacui sunt vertices montium. Etenim nullum dubium est, ante diluvium, priusquam numerus hominum admodum auctus erat, animalia terrestria nimium fuisse multiplicata. Jam cadavera animalium per flumina tandem in maria sunt deportata; proin hoc modo explicatur, qua ratione in montibus talium animalium cadavera petrefacta, e. g. elephantum, rhinocerotum inveniantur, in quibus domestica non sunt.

Demum observo et illud: Non est necessarium, ut aetatem terrae nostrae non assumamus majorem, quam est aetas generis humani. Licet verba: „In principio creavit Deus coelum et terram,“ intelligere de creatione prima, originali.

„Terra autem erat (facta est) inanis et vacua et tenebrae erant super faciem abyssi;“ haec intelligi possunt de quadam revolutione nostri planetae, postquam Deus eum pro hominibus destinavit. Praeterea dies creationis, quantum scio, nemo intelligit pro spatiis temporis 24 horarum, sed pro periodis, quarum durationem nemo hominum determinaverit.

Etiam antiquissima geographia biblica admodum differt a geographia auctorum profanorum, qualis v. g. habetur apud Homerum, qui licet multa etiam geographica accurate scribat, mox tamen genuinis iterum mythica admiscet.

Paradisi situs assignatur historice, non mythice. Hortus iste magno flumini adjacuisse refertur, quod fons erat aliorum 4 fluviorum, quorum nomina afferuntur, quaeque post diluvium novis fluviis addita fuisse videntur. Post mundi inundationem provinciae nominibus appellantur, quibus quoad magnam partem adhuc in Oriente insigniuntur. Locorum distantiae, confinium descriptiones ratione montium,

fluminum et marium cum hodiernis itinerariis collatae quam maxime consentiunt. Ubi Genes. XIV. 10 regio circa Pentapolin describitur, mentio fit cujusdam vallis silvestris, multos puteos bituminis habentis, quae observatio ex historia naturali hujus regionis modernorum confirmatur. Plura hujus generis nota sunt ex Archaeologia biblica.

§. 93.

Negantur mythi religiosi.

Non minus certum est, in sacris litteris non reperiri mythos religiosos; hi enim ex polytheismo prodeunt, et cum eo arctissime cohaerent, sive origo spectetuc, sive illius successio, quod theogoniae Hesiodi et metamorphoses Ovidii abunde docent. At Biblia tradunt dogma fundamentale, existere unum Deum rerum omnium visibilium et invisibilium creatorem et conservatorem; ejus naturam spiritualem ac simplicem esse infinite altiorem et sublimiorem, quam est natura rerum creatarum. Stante hoc dogmate fons penitus abest, e quo tot fabulae in religionem fluunt.

Fatentur quidem ipsi mythorum patroni ingentem differentiam in his inter libros Hebraeorum et aliarum nationum; attamen apparitiones et alloquutiones Jehovae non historice sed mythice accipiendas esse volunt.

Verum praeter ea, quae superius de miraculis biblicis in genere diximus, hae apparitiones et alloquutiones in specie erant necessariae, ut homines a Deo electi ad conservationem verae religionis ab idololatria removerentur, cognitione veri Dei imbuerentur, aut jam imbuti in eadem confirmarentur, atque ita cognitio et cultus veri Dei saltem penes populum conservaretur. Quis sine his sibi explicare poterit, quomodo natio hebraica alias minus culta ad no-

tionem adeo perfectam de Deo, de creatione et conservatione mundi etc. pervenerit, cum ipsi philosophi posterioris aetatis quoad illa capita in crassis ignorantiae tenebris versarentur? Quis credat, genus humanum veritates maximi momenti mendaciis debere? Quis demum non videt, sine illis alloquutionibus et apparitionibus effectus usque ad nos pertingentes sine causis agnosci debere?

Quare sicut fide historica traduntur et ab antiquis considerantur; ita a nobis quoque tanquam facta vere historica intelligenda sunt. Loca, e quibus patet, antiquos illas considerasse ceu vera facta, sunt innumera; exempli causa videatur Deut. IV. 32 seq. psalmi et prophetae; imo non invenitur vel minimum vestigium, ac si unquam de veritate historica dubitatum fuerit. Adhuc absurdiora et refutatione speciali digna non sunt, quae pro mythis in Bibliis N. F. proferuntur.

Abusus fuit olim, ut ait Hessius unus ex Protestantibus, ut in minimis rebus typos et figuras quaererent, sed iste tolerabilior erat, quam novatorum, qui mythos statuendo miracula e sacris litteris removent, sed fabulas important. Quem in finem haec moliantur, satis constat.

SECTIO III.

DE INVENIENDO SENSU PER NEXUM ORATIONIS.

§. 94.

Variae nexus species.

Oratio interpretanda spectari debet in variis relationibus, quarum quaedam extra orationem sunt; aliae vero orationi inhaerent. Primi generis nexus, in quo versatur oratio, forte non inepte externus dici posset, in cujus oppositione alter internus nominandus esset, quique contextus appellari solet.

Contextus est angustior aut latior, prout partes unius ejusdemque propositionis, vel partes orationis remotiores inter se conferuntur. Quatenus porro dependet ab indole cogitatuum, qui enuntiantur, nexus dicitur logicus; quatenus vero dependet a legibus associationis idearum animae humanae insitis, psychologicus appellari solet. Historicus locum tenet, ubi res ordine chronologico, quo evenerunt, proferuntur; cui accedit historico-dogmaticus, ubi res gestae cum doctrinis conjunctae occurrunt. Demum et nexus opticus considerandus est, ubi neglecto temporis ordine objecta quaedam in prophetiis attinguntur. Inde duobus capitibus rem absolvemus.

Caput I.

NEXUS EXTERNUS.

§. 95.

Cognoscenda est persona loquens, et ad quam dirigitur oratio.

Ante omnia interest interpretis, ut accurate sciat, quaenam sit in singulis orationis partibus persona loquens, sine qua cognitione sensum scripti non tantum non rite intelligere, sed etiam in errores non leves delabi potest. Ad hanc cognitionem comparandam eo majori attentione opus est, cum in libris Orientalium, proin etiam biblicis, praesertim poeticis et propheticis persona loquens in orationis serie variat, quin lector moneatur. Isai. LVIII. 3: „Quare jejunavimus, et non aspexisti: humiliavimus animas nostras, et nescisti? — Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis.“ Hic inducuntur Israelitae loquentes ad Jehovam, et responsum Jehovae, quin sermonis mutatio insinuetur. Sunt alia hujus generis loca difficiliora.

Non minor est nonnunquam difficultas in cognoscendo, ad quamnam personam dirigatur oratio. Ps. XIX.: „Exaudiat te Dominus in die tribulationis; protegat te nomen Dei Jacob“ etc. Non omnes interpretes intelligunt hunc psalmum ut orationem pro Davide in bellum proficiscente, nec certa hujus rei adsunt indicia. Quare statuimus: Auctor libri tamdiu habeatur loquens, donec contrarium eluceat vel ex eo, quia disserte alius loquens inducitur, vel ex materia aut forma orationis, ubi e. g. antea dicta refutantur;

ex quo colligitur, antea dicta ut objectiones esse consideranda, quas auctor suo aut aliorum nomine fecit.

Attendat proin interpres, ubinam loquens aut auctor libri filum orationis omittat, et aliena proferat, et ubi filum resumat, et propria proferre pergat. Psalm. CVIII. 5—19 e mente multorum non continet imprecationes Davidis, sed inimicorum ejus in Davidem; Vers. 20 iterum loquitur David, et optat, ut imprecationes hae potius in inimicos suos cadant. Alii tamen, ut opinor, rectius aliter intelligunt. Ad quem oratio dirigatur, aut de quo agat, saepe nonnisi ex adjunctis historicis aut orationis materia seu sensu colligi debet.

Licet porro innotescat, ipsum auctorem non loqui, tamen nonnunquam singulari circumspectione opus est, ut definiatur, quaenam sit persona loquens, seu quis loquens inducatur; nec semper cum certitudine definiri potest. Isai. XLIX. 1: „Audite insulae et attendite populi de longe: Dominus ab utero vocavit me" etc. Hic loquentem induci Messiam inter alia cognoscimus ipsa auctoritate S. Pauli Act. XIII. 47. Ex quo liquet, nihil insoliti esse apud prophetas loqui in persona aliena, aut alios inducere loquentes, quin hos indicent. Ps. XV. juxta Act. III. 25 David loquitur in persona Messiae, clarius idem fit Ps. XXI.

Nec minore nonnunquam circumspectione opus est, ut determinetur, quousque pertingant verba ejus, qui loquens inducitur, et ubinam cessent; sic Joann. I. 15 disputatur, ubinam verba Joannis Bapt. desinant, et ubi iterum verba Evangelistae incipiant; item quae verba dirigantur ad unam, et quae ad alteram personam. Gal. II. 14 disputatur, ubinam cessent verba Pauli ad Petrum, et ubi iterum ad Galatas loqui pergat. Talia regulis determinari nequeunt; opus est sano judicio et sensu aesthetico, nec omnes controversiae in his unquam componentur.

§. 96.

Character personae loquentis.

Sicut interpres personam loquentis, ita etiam characterem ejusdem nosse debet, ut sensum dictionis rite percipiat. Ut enim cuivis homini propria lineamenta faciei sunt, ita propriam quivis cogitandi, sentiendi et loquendi rationem habet, quae nota esse debet interpreti. Proin sciendum ipsi est, unde oriundus sit loquens, quo ingenio praeditus, utrum illitteratus vel litteratus, et qua cultura usus sit, num rabbinica etc., paucis ea omnia nosse utile est interpreti, quae in characterem influunt, et juxta haec judicet et interpretetur scripta.

Quare nemo prudens mirabitur aut offendetur eo, quod auctores N. F. in scriptis suis morem loquendi et citandi aetatis et nationis suae sequuntur, et Paulus in specie culturam suam rabbinicam manifestat, et juxta characterem suum vehementem hinc inde expressiones f o r t i o r e s profert. Porro merito statuimus regulam: Verba ita interpretanda sunt, ut characteri loquentis respondeant. Quare si vir gravis et ad humanitatem compositus loquitur, ab eo recte alienum censetur, quidquid ludicrum et inurbanum sensum praebet. Etiam ex hoc capite erraret, qui verba Jesu ad matrem Joann. II. 4 in sensu agrestiori acciperet.

Nonnunquam talis est personae loquentis character et dignitas, ut, licet de semetipso tantum loqui videatur, ejus verba generale officium exprimant. Tale est illud Pauli I. Cor. VIII. 13 et Gal. II. 19: „Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam; Christo confixus sum cruci: vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.“ Haec sunt sensa hominis a sacris judaicis ad religionem christianam transgressi, et cujusvis boni Christiani.

Non tantum in officiis sed etiam in aliis veritatibus, tradendis Paulus de semetipso talia loquitur, quae de omnibus valent. Huc singulari modo spectat Rom. VII. 7 usque ad finem, ubi Apostolus de seipso loquendo generalem perversitatem naturae humanae explicat assumta quasi generali persona hominis.

§. 97.

Affectus loquentis.

Naturae hominis proprium est, ut affectu abreptus aliter sermonem suum componat, quam si liber ab affectu animo sedato loquitur. In primo casu rem ultra limites veritatis augere vel imminuere, ac proin hyperbolas proferre amat: in secundo autem verba sua accommodare solet rerum naturae accuratius. Inde dijudicabit interpres, utrum ordinaria vocabulorum et phrasium vis mitiganda aut retinenda sit. Sicut enim in affectu nemo hominum omnes expressiones ad rigorem logicum componit, ita nec in tali rigore intelligendae sunt. Quare dicta in affectu plerumque mitiganda et spectanda sunt ut expressiones hyperbolicae. Hujus generis sunt imprecationes in psalmis, Jobo et Jeremia. Nec affectus immoralis dici debet, qui generatim contra contemtores Jehovae, contra impios, hypocritas et injustos inimicos fertur, siquidem talis indignatio tendit potius contra vitia, quam contra homines, aut ex oestro poetico vel prophetico potius quam ex corde procedit.

Quod diximus de retinenda ordinaria vocabulorum vi, si loquens animo sedato loquitur, generatim quidem verum est: at in stilo vulgari, ad ακριβειαν scholae et ad rigorem logicum non composito neque haec regula semper valet, hoc ipso, quia in hoc stilo expressio modo est natura rei superior, modo inferior, modo alia de causa non con-

veniens. Sine cognitione igitur aliunde hausta stilus iste in errores inducit.

An et quo affectu loquens animatus fuerit, ubi disertis verbis non exprimitur, uti fit Joann. XI. 13, Act. XIV. 14 etc., ex orationis forma et rationibus psychologicis cognoscendum erit, scilicet ex abrupto dicendi genere, e figuris exclamationis, repetitionis, ex incisis, paucis, ex illa loquendi ratione, quae hominibus affectu commotis propria esse solet.

Rationes psychologicae docent, quomodo res quaedam hominis animum afficere, seu quales affectus excitare soleat juxta diversas relationes. Joann. XI. 44 facile intelligimus, quos affectus Lazarus ad vitam revocatus excitaverit in sororibus et consanguineis, in populo adstante, in discipulis et inimicis Domini. Cum natura hominum quoad substantiam aequalis sit, cognitio affectuum non habet difficultatem pro interprete, qui se quodammodo transfert in locum loquentis.

§. 98.

De emphasibus.

Ex affectu loquentis interdum ad ordinariam vocabuli significationem augmentum quoddam, seu notio accedit, quam verbum per se ex usu loquendi non habet. Tale augmentum solitae verbi significationis emphasis dicitur; nec tantum in sensu bono, sed etiam malo locum habet. Dies Jehovae saepius in bonam et malam partem emphatice occurrit, i. e. pro die, quo Jehova singularia beneficia contulit, aut singulares poenas inflixit, e. g. Ps. CXVIII. 24. Ps. CXXXVI. 9, dies Jerusalem similiter sumitur. Item Isai XIII. 6 et 9.

Dividuntur emphases in constantes et temporarias: at emphases constantes contradictiones involvere videntur; si enim significatio est constans licet in quibusdam tantum loquendi modis, non amplius est accessio ad solitam significationem, adeoque non emphasis.

Veri nominis emphases sunt temporariae et verbis accedunt ex vehementia affectus, vel magnitudine consilii vel ex praestantia rei, ubi etiam affectus non deest. Cognoscuntur emphases ex orationis contextu, et ex rei natura. Contextus enim indicat, aliquem commoto animo loqui, et in hac commotione plus significare verba, quam per se exprimunt; uti Joann. XIII. 6: „Domine, tu mihi lavas pedes?“ Luc. XXII. 48: „Juda, osculo filium hominis tradis?“ Idem contextus docet, ordinariam significationem esse inferiorem consilio loquentis, aut rei excellentia, ita ut sine emphasi sensus frigidus et ineptus prodiret.

Tale est illud Joannis VI. 37: „Eum, qui venit ad me, non ejiciam foras;“ et saepius occurrens: „Ero illis Deus et ipsi erunt mihi populus,“ i. e. in sensu sublimiori; aut: „Ego sum Jehova,“ vel simile. Huc refertur etiam *ὁ υἱος ανθρωπου* (filius hominis): at forte rectius constanter cum notione magnitudinis sumitur juxta Daniel. VII. 13—14.

Ad emphases referuntur sententiae praegnantes, in quibus pariter plus cogitari debet, quam exprimitur. Psalm. XXX. 21 vel 18: „Sileant in infernum (impii), i. e. sileant vel quiescant descendentes in infernum. Item Psalm. CXVII. 5: „Et exaudivit me in latitudine Dominus,“ exaudivit me, et deduxit me e statu misero in laetum, jucundum.

Denique huc referri posset figura reticentiae, si occurrit in Scriptura, siquidem etiam in hac plus cogitandum est, quam exprimitur Act. XXIII. 9: *Ει δὲ πνευμα ελαλησεν αυτῳ η αγγελος* —

§. 99.

Cautiones in emphasibus indagandis.

Ne in emphasibus statuendis erremus, sequentes cautelae notentur:

a. Emphasis non est quaerenda in simplici expositione rerum gestarum, legum aut doctrinae; in his enim emphasis abesse debet, ne sinistrae interpretationi locum praebeat, nisi forte satis nota fuerit, ut Act. XXII. 14: „ut videres Justum."

b. Non quaeratur emphasis in etymologia; nam primigenia verborum vis decursu temporis per frequentem usum diminuitur et demum penitus tollitur. Joann. V. 39: Ἐρευνᾶτε τας γραφας, non plus indicat quam, scrutamini scripturas, licet ερευνᾳν ab origine significaret metalla eruere e visceribus montium. Excipiuntur tamen allusiones ad originalem notionem του אָדָם, terrenus et του אֱנוֹשׁ, imbecillis, debilis, ut videri potest Ps. VIII. 5 et Ps. CXLV. 3, et praesertim του יְהוָֹה, quod significat eum, qui semper propria virtute idem perseverat, qui revera est, in oppositione cum rebus creatis, quae nonnisi aliena virtute existunt, et transeunt.

c. Emphases non quaerendae sunt nec in magnitudine rerum, nec tropis, nec verborum formis aut loquendi modis, qui a nostris abhorrent, nec in abstractis loco concretorum positis, nec in plurali, ubi verba carent singulari etc.; nam in his omnibus significatio, quamcunque habeat, est solita, et non invenitur augmentum ordinariae significationis, quod emphasin efficit. Proin rex justitiae non plus significat quam justus: vir mortis non aliud, quam qui mortem meritus est. Christus pro nobis dicitur male-

dictio loco maledictus. שָׁמַיִם non plus significat quam coelum, licet sit pluralis.

Usus abstractorum loco concretorum et substantivorum pro adjectivis ab initio necessitate introductus, postea per consuetudinem confirmatus demum etiam brevitatis et ornatus causa retentus fuit.

§. 100.

Tonus pronuntiationis et gestus.

Orationis sensus saepe a sono pronuntiationis et gestu ita afficitur, ut si nobis isti noti essent, mox omnis obscuritas et difficultas evanesceret, et pateret, an serio vel ironice, asperius vel mitius, in affectu aut sine affectu dicta capienda sint etc. Si Jesus cum diceret Joann. II. 19: „Solvite (solvetis) templum hoc," digito monstrasset corpus suum, ejus verba facile intelligi potuissent. Si Dominus Joann. II. 4 suspenso suavique tono pronuntiavit verba ad matrem, nulla inurbanitatis species aderat.

In singulis dictis vix unquam inveniri poterit pronuntiationis tonus: in oratione vero contexta interpres psychologiae peritus facilius deteget indicium quoddam, quonam pronuntiationis tono, quove actionis gestu loquens usus sit. Sine hujusmodi indicio caveat sibi interpres fingere aliquid; nam sicut pronuntiationis sonus et gestus corporis rite cogniti ad verum sensum inveniendum conferunt; sic temere et sine ratione assumti in errores deducunt.

Quidam finxerunt Jes. VII. 14, prophetam ad verba: „Ecce virgo concipiet," in praesentem aliquam puellam digito monstrasse; sed temere et sine fundamento. Contra non sine ratione Vers. 16 ejusdem Cap. per puer (hanaar) alium intelligimus, quam Emmanuelem, scilicet filium pro-

phetae Sear-Jasub, quem pater **jussus a Deo** secum sumserat et manu tenebat.

Olim Protestantes finxerunt, Jesum, cum proferret illud Matth. XVI. 18: „Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam,“ ad verba: „et super hanc petram,“ digito monstrasse corpus proprium, ut tali modo facilius potestatem ecclesiasticam successorum Petri negarent. At contextus et dignitas loquentis adeo repugnat, ut post Michaelem, qui, licet ipse unus ex Protestantibus, hanc interpretationem ridet, quantum scio, nemo amplius has ineptias protulerit.

Ex dictis tamen liquet, magni nonnunquam momenti esse, ut interpres pronuntiationis modum cognoscat.

§. 101.

Adjuncta.

Sicut in doctrina morum et juris habetur proverbium: Circumstantiae mutant casum; ita etiam adjuncta significationes verborum ac expressionum vim, imo et loquendi modum varia ratione afficiunt.

a. Constat, significationes vocabulorum variare non modo pro temporis et loci varietate, sed etiam in diversis occasionibus longe diversa indicare. Ponderum, mensurarum, nummorumque vocabula in diversis temporibus ac regionibus eadem sunt, sed diversum saepe valorem habent. Idem verbum προσκυνειν in diversis adjunctis longe aliam potestatem habet: modo indicat cultum absolutum, qui soli Deo debetur. Act. VIII. 27: „Eunuchus venerat adoraturus (προσκυνησων) in Jerusalem;“ Deut. XXVI. 10: *Και προσκυνησεις εκει εναντι Κυριου του Θεου σου*; modo cultum relativum, imo et externa venerationis indicia, quae

erga homines in Oriente usitata sunt. Genes. XXIII. 7: *Αβρααμ προσεκυνησε τῳ λαῳ*, et Genes. XXXIII. 3: *Και προσεκυνησεν* (*Ιακωβ*) *ἑπτακις επι την γην τῳ αδελφω Εσα* (juxta Vers. Alex.) Act. X. 25. Etiam latinum adorare in diversis his significationibus sumitur pro diversitate adjunctorum aut objectorum, in quibus et de quibus adhibetur.

b. Prout alias dicitur: Circumstantiae aggravant casum, sic etiam sententiae aut dicti gravitas ex adjunctis demum recte aestimatur, ita ut ordinaria vocabulorum potestas quasi augeatur vel imminuatur. Officium condonandi injurias et obediendi magistratibus gravius apparet, si consideramus adjuncta, in quibus Jesus et apostoli hoc inculcarunt, et exemplis suis confirmarunt. Contra non urgendae sunt expressiones in accommodationibus, quibus Jesus et apostoli ob adjuncta usi sunt, ut Joann. XI. 34, VII. 17, et passim in colloquiis ad populum, ubi de natura sua altiori accurate non est loquutus Dominus.

c. Ex adjunctis et contextu dignoscitur nonnunquam, an sententia prolata ut absoluta vel relativa tantum sumenda sit. Matth. XXII. 37: „Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde etc. cognoscitur ut sententia valens pro omnibus hominibus: contra Matth. XIX. 21: „Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes et da pauperibus,“ ex adjunctis tanquam dictum relativum per modum consilii intelligitur.

d. Scribendi ratio apostolorum minus accurata in scriptis suis occasionalibus partim declaratur ex adjunctis, quia scripserunt cognitione doctrinae oretenus imbutis, quibus plura clara et definita erant, quae talia nobis non sunt. In iisdem residet nonnunquam ratio associationis idearum ac certi loquendi modi, ut in nexu psychologico videbimus. Denique in illis non raro occasio continetur,

ex qua consilium ac sensus colligitur, ut alibi explicabimus.

Ex altera parte sibi caveat interpres, ne ex adjunctis repetat, quod aliis causis tribuendum est. Quod Joannes vocem *Λογος* adhibent, male repetitur ex commercio urbis Ephesi cum Alexandria, ubi Philo idem vocabulum in simili significatione adhibuit; melius ex Apoc. XIX. 13 declaratur.

§. 102.

Res, quae in oratione tanguntur.

Sicut orationis sensus afficitur ab adjunctis, ita dependet etiam a rebus, quae declarationis causa adsunt, et iis, quae quidem ad argumentum spectant, sed obiter tantum tanguntur, aut minus accurate traduntur.

Omnis oratio humana ita est comparata, ut extremas rerum lineas potius, quam res ipsas depingat ac repraesentet; perfectior cognitio non raro supponitur. Qua de causa sine cognitione praevia aliunde hausta saepe perfecte intelligi non potest. Quis e. g. sine cognitione paschatis judaici intelliget illud I. Cor. V. 7: „Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio (massa), sicut estis azymi?"

Sine cognitione rerum allusiones, comparationes etc., ut diximus in antecedentibus, rite perspici non possunt. Non minus in judicandis hyperbolis, metaphoris praevia cognitione opus est, ut sciamus, an et in quantum sit hyperbola, et quid proprie valeat. Haec in omni oratione, ut constat, plus minusve locum tenent.

Verum multo major est difficultas in scriptis, quae stilo vulgari non ad *ακριβειαν* scholae, nec ad rigorem logicum composita sunt, ubi expressio modo est natura rei

inferior, modo superior, uti sunt Biblia N. F., quae praeter stilum vulgarem et accommodationes, quas habent, dogmata religionis oretenus tradita supponunt, quorum auctores a consilio tradendi corpus doctrinae longe aberant, et scripta sua nonnisi ad proximum finem destinarunt.

In his praevia rerum cognitio eo magis saepe necessaria est, cum sine hac neque judicari possit, utrum expressio sit accurata aut minus accurata, et quaenam ex pluribus accuratior et quae minus accurata dici debeat. Nisi historia propagationis Evangelii aliunde constaret, illud Coloss. I. 23, nos in errores induceret. Talia etiam in dogmaticis occurrere, vidimus §. 83, et videbimus in sequentibus. Ex quo liquet, quantopere illi errent, qui ex solis Bibliis dogmata definire volunt, atque ex eorum interpretatione cuivis relicta unitatem fidei exspectant; et quantopere necessarium sit, ut ad dispositionem attendamus divinam, juxta quam doctrina religionis tradi et conservari debeat.

Restat, ut moneamus interpretem, ne auctoribus sacris subtiliorem notitiam tribuat, quam revera habuerunt, et ne illis eruditionem obtrudat, qua praediti non fuerunt. In hoc errant quidam recentiorum, qui auctoribus biblicis suam rerum cognitionem et eruditionem tribuunt, ut suas in illis notiones inveniant. Sic Joanni Ev. male tribuitur cognitio philosophiae platonicae, unde, ut volunt, hauserit ea, quae de *Λογῳ* scribit.

§. 103.

Materia substrata.

Non levis denique momenti est, ut verba et phrases in nexu cum materia substrata consideremus, de qua hoc loco agimus, licet quodammodo ad interna orationis pertinere

videatur. Materia substrata est illa, de qua in dato loco sermo est. Si haec certe cognita est, notiones vagae et expressiones ambiguae ita saepe determinantur, ut dubia evanescant. Dum Num. XVI. 22 et XXVII. 16 Deus אֱלֹהֵי הָרוּחֹת nominatur, e materia substrata colligitur, Deum dici dominum omnis halitus vitalis.

Inde fluit regula: Interpretatio, quae sola aut saltem magis, quam omnes aliae cum materia substrata convenit, vera habeatur: contra quae materiae substratae repugnat, aut saltem minus convenit, rejiciatur. Per hanc regulam illud I. Cor. IX. 22: „Omnibus omnia factus sum etc., quod nonnulli de accommodatione positive dogmatica intelligere volunt, superius aliud innuere ostendimus §. 85.

Si vero materia substrata ipsa in dubio versatur, aut si quoad naturam suam non est nobis satis cognita, uti si factum incognitum, miraculum aut mysterium proponitur, allata regula adhiberi nequit. Illud Act. VIII. 39: „Spiritus Domini rapuit Philippum," quoad modum explicari non potest; actio non est humana; et sic alia multa.

In his caveat sibi interpres, ne judicio rationis humanae subjiciat, quae ad forum humanum ex natura sua non spectant. In his dicendum est eum Paulo II. Cor. XII. 2—3: „Nescio, Deus scit."

Caput II.

NEXUS INTERNUS SEU CONTEXTUS.

§. 104.

Partes ejusdem propositionis.

In arctissimo nsxu sunt partes, e quibus quaevis propositio constat, quae sunt subjectum et praedicatum, ac reli-

qua, quae vel ad unum vel ad alterum referuntur. Haec inter se conjuncta se mutuo declarant, illustrant ac determinant. Et quidem

a. modo ex natura subjecti cognoscimus praedicatum, modo ex natura praedicati subjectum, quae duo inter se convenire debent. Joann. III. 21: Ὁ ποιῶν την αληϑειαν, (qui facit veritatem), ex subjecto ὁ ποιῶν patet, veritatem seu αληϑειαν non tam theoreticam quam practicam religionis partem adeoque probitatem indicare. Joann. I. 10: Ὁ κοσμος δι' αυτου εγενετο (mundus per ipsum factus est) ex praedicato εγενετο liquet, mundum physicum non moralem indicari.

b. Quae praeter subjectum et praedicatum in casibus obliquis adsunt, propositionis sensum determinant, Coloss. II. 9: „Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter:“ πληρωμα (plenitudo) hoc loca indicare complexum perfectionum divinarum, innotescit ex adjecto genitivo της ϑεοτητος (divinitatis). Rom. I. 3: „De Filio suo, qui factus est e semine David secundum carnem“ (κατα σαρκα): per adjectum κατα σαρκα restringitur sententia ad naturam humanam, et distinguitur a divina.

c. Simile quid praestant adjectiva. I. Tim. IV. 8: „Corporalis exercitatio (ἡ σωματικη γυμνασια) ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia utilis est.“ Exercitationem non de exercitiis asceticis, ut ipse Brentano inepte interpretatur, sed de exercitiis gymnasticis intelligendam esse, inter alia patet ex adjectivo σωματικη. Joann. I. 18: „Unigenitus Filius (ὁ μονογενης ὑιος) qui est in sinu Patris, ipse narravit.“ Expressionem Filius hic indicare in sensu proprio Filium Dei, jam ex adjectivo unigenitus intelligitur.

d. Adverbia, quae praedicatis conjunguntur, non minus accuratius determinant praedicati sensum; Joann. VI. 56:

„Caro mea vere ($\alpha\lambda\eta\vartheta\omega\varsigma$) est cibus, et sanguis meus vere ($\alpha\lambda\eta\vartheta\omega\varsigma$) est potus.“ Repetitum hoc adverbium ostendit, consilium Domini fuisse declarandi, carnem et sanguinem suum in sensu proprio, non improprio esse cibum et potum supernaturalem.

§. 105.

De distinguendo subjecto et praedicato.

Quid in propositione sit subjectum et quid praedicatum, et quorsum pertineant caetera adjecta, nosse debet interpres. Plerumque dignoscitur sine omni difficultate e natura rerum, ex ordine verborum aliisque indiciis grammaticis: nonnunquam tamen errandi locus datur; inde sciendum: Subjectum praecedere, praedicatum vero subsequi ac utrumque partes suas penes se collocatas habere solet.

Hoc in regula tenendum est, quae confirmatur ex eo, quia interpretatio, quae fit contra hanc regulam, plerumque falsa et inepta invenitur. Matth. V. 3: „Beati pauperes spiritu.“ Qui beati referret ad remotius spiritu, proferret sententiam falsam, ac si pauperes essent beati in spiritu. Luc. VII. 30: „Pharisaei autem et legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos ($\varepsilon\iota\varsigma$ $\acute{\varepsilon}\alpha\upsilon\tau o\upsilon\varsigma$).“ In hoc exemplo male refertur in semetipsos ad remotius consilium Dei: referendum est ad vicinum spreverunt, et reddendum in semetipsis.

Nonnunquam tamen etiam a Graecis praedicatum subjecto praemittitur; frequentius id fit apud Orientales, praecipue in gnomis et propositionum congerie. Rom. XIII. 10: „Dilectio non malum reddit proximo; plenitudo ($\pi\lambda\eta\rho\omega\mu\alpha$) ergo legis dilectio.“ In secundo membro dilectio est indubie subjectum licet postposita, sensusque est: Dilectio consistit in eo, ut leges impleamus.

Alia regula huc spectans est: Subjectum habet articulum, non praedicatum. Joann. IV. 24 *πνευμα ὁ Θεος* (Spiritus est Deus). Si immutaretur articulus: *Το πνευμα Θεος*, alium sensum funderet.

Attamen neque haec regula caret omni exceptione; nam ubi subjectum indefinitum est, sine articulo legitur: praedicatum vero, quod subjecto cuidam praesertim modo eminentiori tribuitur, gaudet articulo. Joann. IV. 37: *Ὅτι αλλος εςιν ὁ σπειρων, και αλλος ὁ θεριζων.*

In hoc jam casu ipsa notionum indoles et mutua relatio expendenda, et quod ex his congruum visum fuerit, statuendum erit. Ubi simul contextus latior accesserit, et unum idemque subjectum per plura orationis membra dominatur, ex horum comparatione plerumque omne dubium evanescit. Joann. I. 1 in tertio membro: *Και Θεος ην ὁ Λογος*, nullum dubium est, Verbum esse subjectum, quia non tantum articulum habet, sed per plura membra tanquam subjectum continuatur, cujus attributa indicantur.

§. 106.

Nexus logicus latior.

Quemadmodum partes ejusdem propositionis se mutuo declarant, illustrant ac definiunt; ita idem dici potest de pluribus propositionibus, quae unam eandemque periodum aut orationem continuam efficiunt, inter se comparatis.

In hac jam comparatione diligenter attendendum est, in quanam relatione logica orationis partes inter se sint: utrum genus et species, totum vel partes, causam vel effectus, utrum antecedentia vel consequentia, rationem vel consequens, similia vel contraria etc. exprimant; quae si cognita fuerint, interpres varia perspiciet, et quidem,

1. quae significatio e pluribus in dato loco eligenda sit, scilicet, quae nexui, quem logicum appellamus, prae caeteris respondet: contra illa significatio repudianda est, quae huic aperte repugnat. Non tamen significatio quaedam, quae contextui respondet, hoc ipso jam tanquam certa habeatur, nisi etiam reliqua subsidia hermeneutica consenserint.

Quodsi in certo loco contextus nonnisi unicam significationem admittit, haec ipsa tanquam vera habeatur, licet sufficientibus testimoniis aliorum locorum confirmari nequeat. Per hanc regulam significatio *των ἁπαξ λεγομενων* plerumque sat bene definitur.

Exempla ad usum contextus declarandum: Genes. XLII. 23 מֵלִיץ indicare interpretem, patet e contextu: „Nesciebant autem, quod intelligeret Joseph, eo quod per meliz loquebatur ad eos.“ In libro Job XL. 20 לִוְיָתָן (Leviathan) indicare crocodilum, nunc constat e praedicatis, quae huic animali tribuuntur; nam haec nonnisi crocodilo conveniunt. Genes. XLIX. 10 שֵׁבֶט non indicare virgam tribulationis, sed sceptrum tanquam insigne potestatis, liquet ex sequenti legislator, dux: „Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est.“ (שִׁלֹה, cujus est venire, vel sceptrum juxta Ezech. XXI. 22, vel 32.)

Joann. VI. 51: „Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi.“ Haec non de doctrina, sed de mysterio Eucharistiae intelligenda esse, colligimus e sequentibus a Vers. 52—58. Joann. I. 1. Verbum (*Λογος*) non abstracta, sed concreta notione sumendum esse, patet ex subsequentibus membris, praesertim V. 14: „Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, quod de abstracto nemo dixerit. Luc. I. 35 *πνευμα ἁγιον* non impulsum divinitus factum, sed

vim divinam denotare, innotescit non tantum e mox sequenti: „Et virtus Altissimi“ etc., sed etiam ex opposito V. 34: „Quoniam virum non cognosco.“ Plura exempla ubique inveniuntur.

2. E nexu logico saepe definienda est significatio particularum, quae in N. T. aeque vaga est ac in V. Non raro particulis mere copulativis connectuntur dictiones, quae sunt in relationibus, quae alias particulas requirunt. Modo enim per particulam copulativam conditio subjicitur, Matth. XVIII. 21: „Domine, quoties peccabit in me frater meus, et ego dimittam illi?“ Modo comparatio innuitur, Joann. V. 17: „Pater meus usque modo operatur, et ego operor,“ i. e.: ut Pater meus usque modo operatur, ita et ego operor. Alias contrarium indicatur, Act. X. 28: „Dixitque (Petrus) ad illos: Vos scitis, quomodo abominatum sit viro Judaeo conjungi aut accedere ad alienigenam, et mihi (*και εμοι*) ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem.“ Talia occurrunt Matth. XI. 19. I. Cor. XVI. 12. I. Thess. II. 18 etc. etc.

Contra particulae contrarium indicantes inveniuntur, ubi nulla est oppositio. Joann. XVI. 2: „Absque synagogis facient vos: sed (*αλλα*) venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo.“ Loco illius sed potius imo adesse deberet.

Inveniuntur etiam dictiones per particulas causales junctae, inter quas non intercedit nexus causalis, sed quarum una alteram explicat, aut una ex altera colligitur. Iisdem particulis etiam comparatio instituitur, Hebr. VI. 7: „Terra enim (sicut terra)“ etc. Aliis contra in locis nexus vere causalis particulis comparativis indicatur. Rom. I. 28: „Et sicut (*καθως*) non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum.“

Utrum particulae *ἱνα*, *ὁπως* (ut) intentionem vel

sequelam, effectum, et εις ac εν motum aut quietem denotent, nonnisi ex rationibus logicis seu praevia rerum cognitione dignoscitur.

§. 107.

Continuatur.

3. Ex nexu logico definitur, quaenam ex pluribus significationibus, quas dictio tropica habere potest, in dato loco spectanda sit; sic sal (το ἁλας) est imago ejus, quod virtutem habet conservandi a putredine seu corruptione morali; Matth. V. 13: „Vos estis sal terrae." Idem est imago ejus, quod habet virtutem condiendi, seu grata sensatione afficiendi, ad sublimiora sensa erigendi; Coloss. IV. 6: „Sermo vester semper in gratia sale sit conditus. Tropus lac (γαλα) modo est imago tenuis, minus perfectae doctrinae, Hebr. V. 2: „Facti estis, quibus lacte opus est, non solido cibo;" modo puritatis, I. Petr. II. 21: „Sicut modo geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite." Cujus jam imaginem in dato loco referat, nonnisi e nexu et natura rei dignoscitur.

4. Utrum loquens illustrare aut demonstrare, docere aut movere, vel simul utrumque praestare, utrum conditionate vel absolute loqui voluerit, plerumque vix melius quam ex contextu rite considerato cognoscitur. Idem contextus nonnunquam docet, utrum expressio ad litteram capienda vel mitiganda sit. Philipp. II. 21: „Omnes enim (excepto Timotheo) quae sua sunt, quaerunt, non quae sunt Jesu Christi." Ex Cap. IV. 3 ejusdem epistolae inferimus, illa prima in rigore non esse sumenda.

5. Dicta quaedam per se obscura ex consideratione antecedentium et consequentium saepe aliquid lucis accipiunt, licet certitudo non obtineatur. In dictis Domini haec

obscuritas probabilius non adesset, si omnia ejus verba scripta forent. Joann. VI. 62—64 legimus: „Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius? Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam; verba, quae ego loquutus sum vobis, spiritus et vita sunt.“ — Si rationem habemus orationis antecedentis, Jesus his verbis dicere voluisse videtur: Quid, anne adhuc vobis offensioni erunt, quae de descensu meo ex coelo dixi, si me in coelum redeuntem videritis? Vita, quam praebiturus sum per carnem meam comedendam et sanguinem bibendum venit a Spiritu, ab invisibili, quod in me est; istud vivificat, salutem praebet: caro mere humana nihil tale praestat; verba mea intelligenda sunt spiritualiter de carne mea et sanguine, quatenus sunt caro et sanguis invisibilis auctoris vitae.

Joann. I. 14 *Λογος*, Verbum dicitur „plenum gratiae et veritatis“ (*χαριτος και αληθειας*). Quomodo haec sumenda? Si consideremus, g r a t i a m et v e r i t a t e m Vers. 17 opponi quodammodo legi mosaicae, et Vers. 18 veram Dei cognitionem unigenito ejus Filio soli tribui, inferri posse videtur, per hos terminos indicari dona supernaturalia hominis animum moraliter disponentia et sanctificantia, et perfectam religionis doctrinam in oppositione cum r i g o r e et u m b r i s legis mosaicae.

6. Denique quae supplenda sint a legente, non aliunde melius, quam ex orationis nexu intelligi possunt. Etenim si auctor est imperitior stili, aut excitato animo fertur, aut quaedam nota supponit, quae forte coaevis innotuerunt, nobis autem cognita non sunt; fieri solet, ut non semper ab una notione transeat ad proximas, sed ut omissis mediis ad remotiores deveniat, aut quaedam addere negligat, quae sensus requirit. In hoc casu in orationis serie quaedam utut obscura omissorum indicia inquirenda sunt, vel tanquam

necessario praemissa supponi, aut ex oppositis colligi debent; alias de perfecta loci cognitione actum est. Huc tamen non referrem Joann. III. 6: „Quod natum est ex carne, caro est etc.“ nec Vers. 31: „Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur;“ quod enim in his supplendum est, ex natura verborum fluit, non ex omissione quadam. Contra ex Joann. V. 18 colligimus, Dominum plura dixisse, quam Evangelista narrat in versu praecedente.

Clarius exemplum praebet Joann. III. 2—3; ibi Nicodemus ait ad Jesum: „Rabbi, scimus, quia a Deo venisti magister; nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.“ Respondet Jesus: „Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo (superne), non potest videre regnum Dei.“

Ex hoc Domini responso videmus, Nicodemum etiam interrogasse, quod omissum est, sub quanam conditione aliquis regni coelorum, quod annuntiaret, particeps fieri posset? —

Caeterum non est difficile observare, in judicando et adhibendo nexu logico praevias opiniones interpretis necessario maximum influxum habere; cum enim nexus iste, ut audivimus, saepe ex natura rerum tantum dignoscitur; hoc ipso cognitio nexus cognitionem rerum supponit, et pro diversitate opinionum de rebus, etiam diversum erit judicium de nexu. Nam quivis juxta suam praeviam cogitandi rationem, ut expressiones, ita et nexum intelligit; juxta hanc conjungit, separat, supplet, quaedam sanae rationi convenientia, alia absurda, quaedam certa, alia incerta aut falsa etc. judicat, ita ut psychologice exspectandum sit id, quod experientia testatur, quemvis fere talia interpretationis corollaria proferre, quae cum praevia ejus cogitandi ratione conveniunt.

Huic malo non aliter mederi potest Hermeneutica, quam

si effecerit, ut scripta sacra non adhibeantur ad finem, ad quem non sunt composita, et ut definitio dogmatum fidei et morum auctoritati relinquatur, cui ex dispositione divina competit.

§. 108.

Nexus psychologicus.

Nexus iste nomen habet a ψυχη, quia innititur legibus associationis idearum, quae animae humanae a natura insitae sunt. Experientia enim teste cogitatus se consequuntur in mente nostra, qui quondam conjunctim menti obversabantur in iisdem temporis aut loci adjunctis, qui cum praesenti animi statu affinitatem habent, vel internam similitudinem referunt, qui frequenter sibi successerunt, et qui objecta contraria repraesentant. Quo praeterea majori gradu haec locum tenent, eo certius et celerius ideae se invicem provocant.

Haec omnia ex psychologia nota sunt. Nos tantum quaerimus, an et quae emolumenta ex hoc phaenomeno psychologico interpreti accedant. Haec tot et tanta non sunt, quot et quanta e nexu logico fluunt: attamen nonnunquam cognitio associationis idearum facit, ut

a. interpres dicti cujusdam ac ipsius modi dicendi rationem reddere valeat, quo ignoto interpretatio aut in obscuro relinquitur, aut saltem non plena luce gaudet. Joann. VII. 37—38: „In novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus, et clamabat dicens: Siquis sitit, veniat ad me et bibat; qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae.“

Locus iste multum lucis capit, si recordamur, ultimum diem festi tabernaculorum prae caeteris solennem fuisse ob ritus et sacrificia, quae eodem die peragebantur, praesertim

ob aquae Siloes effusionem musicos inter concentus, uti notum est ex Archaeologia juxta illud, ut videtur, Is. XII. 3: „Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris (aut salutis) etc.,“ quae effusio juxta quosdam ex ipsis Rabbinis effusionem Spiritus S. et gaudii indicabat. (Dereser loco cit.) Ad hunc ritum sine dubio respexit Jesus, cum allata verba proferret.

Adhuc alio modo lex associationis idearum in eandem Domini orationem influxit; nam, ut constat, aquae vivae, et fontes aquae vivae multo rariores in Oriente, quam apud nos, ibidem sunt imago ejus, quod felicitatem, beatitudinem affert. Apoc. XXI. 6. Inde Messiae institutiones et dona crebro a prophetis cum salubribus aquis ac fonte vitae comparantur. Is. LV. 1: „Omnes sitientes venite ad aquas,“ quam loquendi rationem Jesus retinuit non tantum loco citato, sed etiam Joann. IV. 14: „Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.“

His consideratis loci citati Joann. VII. 37—38 sensus erit: Qui veram beatitudinem consequi desiderat, veniat ad me, meamque doctrinam amplectatur; qui hanc sequutus fuerit, donis coelestibus replebitur ita, ut non tantum ipse beatus fieri, sed alios quoque eadem doctrina imbuere, ejusdemque beatitudinis capaces et participes reddere possit.

b. Qui cognitum habuerit, quaenam notiones in anima loquentis se comitari soleant, aut quae sit ejus solita idearum associatio, saepius definire poterit, quaenam explicatio caeteris sit anteponenda, quod in locis parallelis ejusdem auctoris explicandis praesertim usum habet. Matth. VI. 10: „Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra.“ In hac formula precum intelligendam esse eam Dei voluntatem, quam legibus moralibus exprimit, patet etiam ex eo, quia Jesus in omnibus institutionibus divinam voluntatem tanquam su-

premam actionum humanarum normam, et virtutem moralem ut summum hominis bonum declarat.

c. Cur Jesus hoc vel illud dictum aut factum A. F. certo in loco adhiberet et explicaret, accidit vel ex observata hujus dicti cum materia substrata, quam tractabat, similitudine; vel inde, quia in sensu litterali vel typico rem quandam praesignificabat, vel quia forte circa idem tempus in synagoga praelectum fuit etc., ex quo Jesus de eadem re ulterius loquendi occasionem sumsit. Joann. VI. 49 et 59 comparatio instituitur inter panem, ut puto, eucharisticum et manna Israelitarum. Matth. XXI. 42 provocat Dominus ad Ps. CXVII. 22: „Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, his factus est in caput anguli.“ Idem fecerunt apostoli, qui saepe similitudinis lege ducti citant. Act. I. 20: „Et episcopatum ejus accipiat alter,“ et alibi passim.

d. Denique hoc phaenomenon psychologicum vix ullibi magis dominatur, quam in imaginibus praesertim prophetarum, quibus semper similitudo aut vera aut imaginaria subest. Ut fontes aquae vivae felicem reddunt possessorem, ita sumuntur ut imago ejus, quod felicitatem praebet. Ut mons sanctus Israelitae erat locus beatus, ubi habitat Deus ipse; ita sumitur pro loco beatitudinis coelestis. Item Jerusalem, Babylon, Sodoma etc.

§. 109.

Nexus historicus et historico-dogmaticus.

Nexus historicus ex ipso rerum narratarum ordine et eventuum successione chronologica enascitur. Hujus interpretatio, siquidem pure obtinet, facilis est, et regulis singularibus non indiget.

At nonnunquam res gestae et doctrinae simul traditae referuntur, et quidem non semper juxta ordinem temporis unacum occasionibus, sed ob similitudinem aut aliam causam conjunctae, quod hinc inde difficultatem praebet. Ordo in Evangeliis non est ubique chronologicus. Matth. V—VIII. in oratione montana traduntur doctrinae, quae non omnes eodem tempore, sed diversis occasionibus a Domino propositae fuisse creduntur. Quae Luc. XVI. occurrunt, non eadem occasione dicta videntur, qua illa capitis XV.

Ex natura rei patet, quanti momenti sit ad rerum historiam et sensum definiendum, ut interpres sciat, quo ordine res gestae sibi successerint, quibusque occasionibus ac adjunctis dicta quaedam prolata sint. Inde ipsi eo incumbendum est, ut, quantum fieri potest, successionem eventuum historicam, dictorumque occasiones investigat et distinguat. Hunc in finem ex aliis coaevorum relationibus lucem quarere debebit. Quae Matth. XIX. 10—12 dicuntur, non eadem occasione ut praecedentia a Domino tradita sunt, quod colligimus ex Marc. X. 10. Evangelia in multis se mutuo complent et illustrant. Epistolae Paulinae nonnunquam lucem capiunt ex Act. Ap. et vicissim. Libri Regum ex Chronicis etc.

Attamen conatus definiendi singulorum ordinem et occasiones praesertim in Evangeliis frustraneus videtur, praesertim si consideremus, Jesum diversis temporibus, diversis in locis, coram diversis auditoribus praedicasse, ex quo plane ridicula est opinio, ac si unam eandemque doctrinam, imo et parabolam semel tantum et non saepius verbis, ut fieri solet, plus minusve diversis exposuerit, cum contra singuli Evangelistae doctrinam aliquam Domini semel tradidisse contenti fuisse videntur.

§. 110.

Nexus opticus.

Nexus iste, qui ab οπτομαι nomen habet, in prophetiis saepius locum habet; nam prophetae non considerandi sunt tanquam historici rerum futurarum, sed saepe prospectus tantum quosdam praebent in futurum, ubi nec ipsi omnia viderunt, nec ea, quae viderunt, satis distincte semper viderunt. Inde dum loquuntur, non semper ordine historico progrediuntur, sed nonnunquam ab una re transiliunt ad aliam remotam, et connectunt distantia, quin innuatur intervallum, quod jacet inter res, de quibus loquuntur, ut nonnunquam poetae lyrici facere solent.

Hac de causa prophetae comparantur speculatoribus, qui e turribus remota conspiciunt. Ezech. III. 17 dicit Jehova: „Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, et audies de ore meo verbum et annuntiabis eis ex me.“ Nexus opticus similitudinem habet cum delineationibus prospectuum per colores. Sicut in his objecta remotiora, ut obtutum feriant, longe grandiora non raro exhibentur, quam viciniora, aut coloribus vividioribus induuntur aliis in obscuro relictis; ita prophetae in nexu optico neglecta temporis ratione desultorie feruntur, si ita loqui fas est, a proximis ad remotiora, imo et remotissima transiliunt omissis intermediis, redeunt ad viciniora, ac plane praesentia futuris immiscent.

Micha, ut Jahnius existimat, primis capitibus fere chronologice procedit usque ad tempora Macchabaeorum: dein loquitur de Messia; mox redit ad tempora Macchabaeorum. Similiter Zach. IX. 1—8 loquitur de grogressibus Alexandri M. per Syriam etc.; Vers. 9 videt quasi a longe Messiam; mox redit ad tempora Macchabaeorum

(Vid. Introductio specialis in lib. A. F. Ackermannii §. 75. pag. 222). Quare interpretatio, quae in prophetiis cuncta ad temporis ordinem revocat, merito falsa declaratur.

Jam quaeritur: Quomodo nexus opticus cognoscitur? Ad hunc cognoscendum et interpretandum non vulgari opus est subtilitate ingenii et rerum cognitione; etenim vix alia regula statui potest, quam sequens: Nexus opticus in eo casu admittendus est, ubi explicatione ad chronologiam exacta dictis nequaquam satisfieri intelligitur. Ex quo in oculos incurrit, sine perfecta et ampla historiae cognitione vix judicari posse, utrum nexus opticus obtineat nec ne.

Non raro autem talis saltus oritur ex relatione, quae in prospectibus per colores locum non habet, scilicet, ut objecta viciniora ad remotiora se habeant, ut imagines, typi, figurae ad res figuratas aut saltem similes, in quo casu nexus psychologicus ad opticum accedit, eumque promovet. Praeterea, ut constat, pertinet ad proprietates stili prophetici, unum nominare et aliud simile indicare. Quare nemo mirabitur, prophetas transire a figuris ad figurata aut saltem similia, licet multum inter se distent, eosque nonnunquam ita loqui, ut quaedam de figuris, alia de figuratis valeant. — Isai. XLV. 8 a Cyro ob similitudinem transire videtur ad liberatorem populi electi in sensu sublimiori, ad Messiam; imo destructio impii regni Babylonis, libertas a Cyro reddita populo electo, hujus restitutio in patriam felicem etc. mihi saltem non magis historice quam typice celebrari videtur.

Denique observo: Cum vaticinia forte diversis occasionibus edita nonnisi post mortem prophetae in librum ordine non accurato collecta sint, et distinctas divisiones non semper contineant: transitus ab una re ad aliam non sine circumspectione repraesentationi perspectivae, seu nexui optico tribuatur.

§. 111.

Unde cognoscatur nexus ejusque genus.

Cum ea, quae a nexu dependent, tot et tanta sint, summi momenti res est, ut perspiciamus, unde partium orationis nexus, ejusque genus cognoscatur. Haec cognitio eo magis necessaria est, cum quaedam sint, quae interpretem in errorem inducere possunt, si his justo majorem fidem praebet. Talis est consueta divisio in capita et versus, quae nonnunquam inepta invenitur, utpote dissecans, quae ex natura sua cohaerent, aut conjungens, quae separari deberent. Etiam divisionibus recentiorum non ea vis tribuenda est, ac si ultra eas egredi non liceret, cum non raro ea, quae lucem sibi praebent, a se invicem remota inveniantur. Ipsa Biblia non habent illas partium distinctiones, quas stilus accuratus requirit.

Recte vero orationis nexus cognoscitur:

a. Ex apertis exordiis et loquendi formulis, quae aut continuationem aut finem orationis innuunt. Is. XIV. 27 desinit vaticinium contra Babylonem, et Vers. 28 incipiunt minae contra Philistaeos.

b. Ex unitate aut diversitate facti et consilii, si notum fuerit, aut ex indole orationis.

c. Ex unitate vel diversitate temporis, loci et personarum cum loquentium, tum earum, ad quas dirigitur oratio, ita ut quaevis mutatio in his certum indicium sit, non eandem amplius orationem continuari. Luc. XV. loquitur Dominus ad Pharisaeos et scribas: contra Caput XVI. incipit: „Dicebat autem et ad discipulos suos," ex quo patet, orationem priorem non continuari. Is. VII. 13 Achaz prophetae signum offerenti respondet: „Non petam et non tentabo Dominum;" et Isaias ait: „Audite ergo domus David;"

abrupta oratione cum rege loquitur ad domum David, cujus intererat nosse, quod annuntiaturus erat.

d. Denique analysis argumenti ipsius semper plurimum valet ad judicandum, quae cohaereant et quae non cohaereant.

Quo autem genere nexus diversae dictionis partes inter se connexae sint, plerumque nonnisi ex rerum habitu et indole innotescit; nam particulae, quae destinatae sunt diversis nexus speciebus indicandis, sunt, ut superius vidimus, ita vagae, earumque usus ita indeterminatus, ut fere promiscue adhibeantur. Inde ad rerum naturam respiciamus necesse est.

§. 112.

Gradus nexus.

Non minus subtilitate judicii opus est ad cognoscendum gradum nexus; nam etsi interpres nonnunquam ratione dictionis adjuvetur ad dijudicandum, utrum dictum quoddam in principali nexu cum alia positum sit, vel in minus principali versetur; plerumque tamen nonnisi proprio judicio dijudicare debet, utrum essentialis vel accidentalis, angustior vel latior, vicinior vel remotior nexus obtineat.

Indicia, e quibus gradus nexus cognoscitur, sunt:

a. Si continuatur eadem oratio, vel si ab incepto deflectit in parenthesi, aut in longiori quadam digressione. Familiare est S. Paulo facere parentheses et digressiones, et his absolutis redire ad ideam quasi relictam. I. Cor. I. 13 cohaeret cum Capitis III. 3; intermedia tanquam digressio consideranda sunt.

b. Si in historiis formulae quaedam occurrunt, quae longioris temporis intervallum innuunt, satis patet, antecedentia et consequentia non arcte inter se cohaerere. Act.

IX. 23: „Cum autem implerentur dies multi etc." Hoc loco omissum est iter Pauli in Arabiam.

c. Si vaga tantum temporis indicia adsunt, lector monetur, non contiguam factorum vel eventuum seriem narrari. Matth. XII. 1: „In illo tempore abiit Jesus per sata sabbato."

Talia indicia si desunt, et ex relationibus aliorum nihil lucis repeti potest; interpres proprio judicio gradum nexus invenire debet respiciendo praesertim ad argumenti analysin, quae saepe non tantum docet, quae cohaereant, sed etiam in quo gradu cohaereant.

§. 113.

Cautelae circa nexum observandae.

Sicut antiquorum interpretum fere commune vitium fuit, ut contextui non satis attenderent; ita mordernorum nonnulli in eo errant, ut in illo requirendo et constituendo nimium audaces conjecturis indulgeant vimque adhibeant. Ut tales errores evitemus, notanda sunt:

1. Caveat interpres, ne per artificium sive criticum sive hermeneuticum extorquere aut intrudere conetur nexum, quem textus non praebet; etenim Biblia A. F. ejusmodi mutationes passa sunt, quae nexum perturbant. Non quidem respuenda censemus auxilia, quae sana critica suppeditat. At aliud est sana critica, et aliud sunt audaces conjecturae, quae plerumque praejudiciis originem debent.

Etiam in Bibliis N. F. nexus docta subtilitate aut mediis violentis productus semper suspectus esse debet; nam auctores quoad majorem partem illiterati plana et obvia sequentes forte nonnisi fragmenta orationum Domini colle-

gerunt stilo vulgari conscripta. Ex quo intelligitur, hujusmodi artificium, quod significatus rariores neglecto contextu sectatur, aut doctam aliquam subtilitatem supponit, in his libris non esse suo loco. Inde erronea est interpretatio Luc. VI. 30, quae verba: „Et qui aufert, quae tua sunt, ne repetas," de creditoribus accipit; contextus aperte repugnat. Aeque male verba Matth. XI. 19: „Et (at) justificata est sapientia a filiis suis," tanquam verba adversariorum considerantur et ab antecedentibus separantur. Huc spectant transpositiones versuum, quas nonnulli tentarunt.

2. Interpres non audeat mutare textum sine ratione sufficiente, aut etiam invito contextu; nam qui addit, demit aut immutat, novum textum efformat, et non interpretem sed correctorem aut potius corruptorem agit. Hujus vitii Bahrdtius et Paulus Heidelbergensis praecipue se reos fecerunt. Primus seculo priori libros sacros tractavit, ut ab homine incredulo et religionis positivae hoste exspectandum erat. Hic in suo commentario Evangelia ita explicat, ut miracula et mysteria evanescant, et nihil aliud, quam eventus naturales et doctrinae mere humanae relinquantur. In hunc finem saepe mutatio textus necessaria fuit. Matth. XIV. 25, ubi Jesus super mare ambulasse narratur, idem Paulus vult, ut adjiciatur επ' αιγιαλῳ (in littore), quo evanesceret miraculum, licet contextus evidenter sit contrarius.

Nec sine ratione sufficiente separentur et dividantur sententiae aliter, quam ab antiquis factum est; etsi enim apostoli sine interpunctionibus scripserunt, tamen antiquitatis auctoritas non est tam facile spernenda. I. Tim. III, 15: „Columna et firmamentum veritatis," ab antiquis omnibus excepta versione syriaca refertur ad praecedentem Ecclesiam. Modernorum nonnulli trahunt ad sequentia, ut praedicatum hoc ab Ecclesia removeant. At praeter auctoritatem antiquorum habemus loca, ubi idem Apostolus de

Ecclesia similia praedicat, ut est Ephes. IV. 11—17 et Ephes. V. 23—27.

Jahnius in suo Enchiridio Herm. general. pag. 53 ait: „Ecclesia non potest in una eademque orationis serie dici et domus et fundamentum et columna.“ At fateor, hanc impossibilitatem non video, imo lectio solita mihi magis naturalis et fluida videtur, quam si illa verba ad sequentia trahantur. Idem vir eruditus pag. 72 asserit: Paulus Ecclesiam tantum ὡς ἐν παρόδῳ attingit; vult autem Timotheo altius infigere, quae sit fundamentalis Evangelii doctrina. — At ego puto, consilium Apostoli potius fuisse incitare Timotheum ad accuratam muneris ecclesiastici exsequutionem repraesentando ipsi sublimitatem Ecclesiae. Ad eundem locum idem Jahn. defendit pag. 53, a Kabbalistis graviora doctrinae capita ita nominari solere. — At inde non sequitur, has expressiones de Ecclesia ab Apostolo non esse adhibitas, ut Gal. II. 9 tres Apostoli, et Apoc. III. 12 Sancti „columnae vocantur.“

Quodsi expressiones „columna et firmamentum veritatis“ de doctrina intelligere vellemus, adhuc rectius, ut opinor, ad doctrinam ab Apostolo praemissam referretur, scilicet: Ecclesiam Dei vivi esse domum Dei. Haec sane est doctrina, quam, qui ad Deum venire vult, ante omnia alia scire debet. Ecclesia proin intranda, nec unquam derelinquenda est ab eo, qui Deum non vult derelinquere. Haec doctrina omnino fundamentalis dici potuisset, cui Apostolus ὁμολογουμένως magnum pietatis mysterium more suo adjungit.

3. Interpres non statuat alium nexum, quam qui revera obtinet; non quaerat e. g. in prophetiis nexum historicum, ubi opticus est; nec quoad gradum nexus statuat arctiorem, aut latiorem, quam qui revera est. Haec regula si negligitur, notiones aut sententiae loquentis vel nimium restrin-

guntur, vel nimium extenduntur, vel eventibus intermediis locus adimitur. Si sententia Matth. XXII. 14: „Multi enim sunt vocati, pauci vero electi," poneretur in connexione tantum cum rejectione ejus, qui sine veste nuptiali in convivio erat, sensus prodiret: Ex ipsis Ecclesiae membris pauci salvantur. Si vero, ut res postulat, ad totam parabolam adeoque ad omnes invitatos refertur, sensus longe mitior prodit.

Luc. II. 39: „Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaeam civitatem suam Nazareth." Haec dicta non arcto nexu inter se cohaerent; nam juxta Evangelium Matth. parentes Jesu ab angelo moniti prius fugerunt in Aegyptum, et post mortem Herodis demum reversi manserunt Nazarethi. De fuga in Aegyptum Lucas nihil narrat Theophilo suo, sicut in Act. IX. 33 omittit iter Pauli in Arabiam ipsi certe non incognitum, de quo Apostolus ipse Gal. I. 17 mentionem facit.

§. 114.

Continuatur.

4. Interpres non majorem vim nexui tribuat, quam ipsi competit, quod fieret, si ad solum contextum attenderet neglectis reliquis adminiculis hermeneuticis. Nam ut interpretatio contextui respondeat, jure postulatur: ut vero prae caeteris omnibus, quae locum habere possunt, semper contextui conveniat, exigi non potest, praesertim in stilo vulgari ad rigorem logicum non composito. Quae igitur e pluribus contextui congruis interpretationibus seligenda sit, e caeteris quoque adminiculis hermeneuticis et praecipue e usu loquendi decidendum est. Nonnulli illud Joann. I. 30, *εμπροσθεν μου γεγονε* de prioritate dignitatis, non tem-

poris intelligendum esse volunt. Verum posito, hanc interpretationem contextui magis respondere, tamen usus loquendi potius pro prioritate temporis decideret. At nec contextui magis respondet; nam oppositio: „post me venit vir, qui ante me fuit,“ innuit prioritatem temporis, ut reliqua, quae de aeternitate του Λογου praecedunt.

Non minus peccaret interpres contra contextum, et uni justo plus, alteri justo minus tribueret, si notionem, quam vocabulo aut formulae in certo contextu convenire observat, eidem etiam in alio contextu tribuere vellet, qui illam respuit. Inde errant, qui Luc. IX. 31, εξοδος intelligunt de expeditione bellica adversus Jerusalem, quia apud auctores profanos hanc significationem in alio contextu inveniunt. At loco citato significat potius exitum vitae, ut II. Pet. I. 15, mortem expiatoriam, quam subiturus erat Dominus in Jerusalem. Eodem modo errant, qui formulam ὁ υἱος ανθρωπου cum notione tenuitatis accipiunt, quia ipsis uno alterove in loco ita accipienda esse videtur. Contrarium patet ex Matth. XII. 6 et 8: „Dico autem vobis, quia templo major est hic.... Dominus enim est Filius hominis etiam sabbati.“ Conf. cum Matth. XXVI. 63—64. Joann. XII. 34. Daniel. VII. 13—14.

5. Vicissim non committat interpres, ut de vi contextus certi aliquid sine ratione remittatur; etenim si contextus audiendus est, omnis ejus vis spectetur. Joann. VII. 16—17: „Si quis voluntatem ejus facere voluerit, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso (απ' εμαυτου) loquar. Jam a meipso intelligitur de auctore doctrinae; alterum vero ex Deo nonnulli nolunt de auctore, sed potius de objecto intelligere, ita ut sensus sit: utrum ego doctrinam hauserim ex meditatione de Deo. At contextus requirit ut in uno, sic in altero auctorem, inde sensus est: utrum doctrina mea Deum auctorem habeat, aut me, qua-

tenus sum homo. Hoc confirmant praecedentia: „Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me."

6. Denique sibi caveat interpres statuere nexum arbitrarium inter partes non cohaerentes aut etiam male intellectas ad certas doctrinas obtinendas vel destruendas, nec contra sanam logicam certitudinem inferat, pro qua non adest ratio sufficiens.

Regula haec, ut aliae, ab omnibus agnita certe ab omnibus violatur, qui Bibliis ad finem utuntur, ad quem ab auctoribus sacris non sunt destinata. Exemplum nobis sit I. Cor. VII., ubi Paulus statum virginis et viduae ut praestantiorem matrimonio per modum consilii et suo exemplo commendat. Ut hanc doctrinam ceu generalem evertant, referunt quidam omnia et antecedentia et consequentia ad illud Vers. 26 *δια την ενεςωσαν αναγκην*, et intelligunt tempora persequutionum, licet potius inhaerentes matrimonio necessarias curas et relationes, quae cultum divinum impediunt, intelligat Apostolus, et in sequentibus rationes generales proferat, quae semper valent. Quod magis mirandum est, contra auctoritatem totius antiquitatis pro praestantia virginitatis ex loco citato pro doctrina contraria certitudinem inferunt. — At haec certitudo nec ex contextu neque ex usu loquendi, sed ex praejudiciis et inclinationibus fluit. Similia exempla passim occurrunt.

Atque ita habemus regulas hermeneuticas ab omnibus agnitas et forte ab omnibus plus minusve violatas, diverssas interpretationes ex iisdem regulis deductas, quin ullus fateatur, se contra regulas hermeneuticas peccasse, quod phaenomenon declarare non est difficile.

Quivis enim hominum a juventute modis, qui omnibus cogniti sunt, certam cogitandi ac sentiendi rationem sibi propriam facit, ex qua certae inclinationes et aversationes ac affectus oriuntur. His instructus dum legit, omnia juxta

suam praeviam cogitandi ac sentiendi rationem intelligit et judicat; juxta sua principia suasque inclinationes alia pravie fovet, alia aversatur. Stilus minus accuratus et fata Bibliorum nolenti agnoscere doctrinam quandam fere semper effugium praebent. Accedit superbia humana, quae arreptam aliquando opinionem deponere et adversariis forte odiosis victoriam cedere recusat, et cum praeviis principiis sive religiosis sive philosophicis et inclinationibus interpretem ipsum ita decipit, ut proprium errorem non agnoscens alios erroris incuset, quod experientia quotidiana testatur.

Ex his intelligimus, cur vis praejudiciorum intellectus et cordis humani tanta inveniatur, ut juxta easdem regulas ex iisdem Bibliorum locis diversi diversum, imo diversissimum sensum non raro eruant, et cur tali modo unitas fidei non sit exspectanda.

Cum vero ex altera parte haec unitas ab apostolis adeo commendetur, sane quasi a priori inferendum esse videtur, hanc unitatem ex dispositione divina aliunde quam ab interpretatione Bibliorum esse repetendam, quod mox inquiremus.

SECTIO IV.

DE SENSU INVENIENDO EX CONSILIO.

§. 115.

Cur haec sectio ultimo loco ponatur.

Si ad originem libri aut orationis cujuscunque attendimus, consilium ante omnia adest, et compositionem libri, selectum verborum ac ordinem etc. determinat, ita ut tractatus his reliquis omnibus praemittendus esse videatur. Aliter tamen se res habet, si attendimus, quomodo ad cognitionem consilii seu scopi certae cujusdam orationis aut libri compositi perveniamus. Haec nonnisi e cognito loquendi usu, caeterisque adminiculis hermeneuticis rite adhibitis et, praesertim argumenti analysi enascitur.

Exstant quidem nonnunquam indicia quaedam historica de scopo orationis aut libri: at haec raro praesto sunt; et licet praesto sint, tamen examinari debent per comparationem cum indole orationis aut libri compositi; quo in examine interpreti vix aliter procedendum est, quam si indicia illa historica non exstarent.

Quare sectionem hanc summi momenti ultimo loco poni posse arbitramur. Agemus vero in duobus capitibus:

I. De consiliis considerandis.

II. De consiliis inquirendis.

Caput I.

DE CONSILIIS CONSIDERANDIS.

§. 116.

Materiae gravitas.

Cum rei cujusvis perfectio in eo consistat, ut apta sit ad finem, consilium seu scopum, ad quem destinatur; facile cognoscitur, cognitionem consilii Bibliorum ad eadem rite judicanda et adhibenda esse necessariam. Cum praeterea ad orationis scopum omnia in interpretatione referenda sint, indeque saepe lux capienda; patet, doctrinam de consilio Bibliorum rite esse considerandam, et quidem eo magis, cum ex neglecta hac consideratione funestae sequelae in religionem redundent. Etenim increduli non attendentes ad Bibliorum finem et oeconomiam revelationis quaerunt in eis talia, quae ibidem reponere auctori revelationis non placuit; quaerunt a b s o l u t a m revelationem, ubi nonnisi r e l a t i v a adest; quaerunt alterius generis doctrinas, ubi nonnisi fundamentales religionis traduntur; concludunt a defectu indiciorum apertorum de doctrina quadam ad ignorantiam auctorum etc., atque ita reprehensionis et irrisionis materiam inveniunt.

Alii quaerunt in Bibliis N. F. systema dogmatum, omnia dogmata definita, quae tradere auctoribus ipsis nunquam in mentem venit. Hoc errore capti non possunt non errare gravissime. Inde in sectas divisi non agnoscunt dispositionem divinam circa traditionem et conservationem religionis, quam ejus auctor in Ecclesia sua constituit. His malis per solidam cognitionem de consilio seu fine Biblio-

rum mederi intendimus statuentes ante omnia regulam generalem: Noli quaerere in libris, quod auctores illis committere noluerunt.

§. 117.

Diversa consilia distinguenda.

Quid per libri aut orationis consilium intelligamus, jam in parte isagogica §. 7. dictum est. Possumus vero, imo debemus varia consilia distinguere, quae omnia majorem aut minorem influxum in biblicam interpretationem habent, et quidem

a. Consilium generale Bibliorum A. et N. F.;

b. consilium singulorum librorum;

c. proximum auctorum, et quod libris ab aliis tribuitur;

d. consilium partium; denique

e. consilium rerum verbis indicatarum, quod forte rectius significatio appellaretur. Haec singula in hoc capite considerabimus, et quid inde pro interprete fluat, observabimus.

§. 118.

Consilium generale Bibliorum A. F.

Quod attinet Biblia A. F., Christiani conveniunt, eorum scopum esse introducere et conservare veram religionem inter homines, et quidem primo in unam familiam a Deo electam, quae in populum Hebraeorum excrevit. Hunc in finem respublica hujus populi ut Theocratia constituta ac ejusmodi legibus et institutis instructa est, quibus veri Dei cognitio et cultus, licet pro infantia generis humani sensualis, attamen praefigurativus, saltem apud hanc natio-

nem conservaretur; donec certo tempore promissus Messias ex eadem natione prodiret, qui perfectiores cognitiones afferret, sensuali spiritualem cultum ac umbris veritatem substitueret, et societatem religiosam fundaret, quae ad omnes nationes se extenderet.

Fundamentales verae religionis doctrinae, quales jam in libro Genes. inveniuntur, facta et fata populi hebraici sub speciali directione divina, cum legibus et institutis, laudis divinae encomiis ac vaticiniis, cum multis doctrinis ad erudiendos et ad pietatem informandos homines etc., in Bibliis A. F. continentur.

Quare interpres omnia, quae in his leguntur, in respectu religioso consideret, nec astronomiam, aut physicam, nec corpus doctrinae dogmaticae et moralis nationis, nec ubique perfectissimas notiones requirat, ut §. 21., diximus de discrimine inter revelationem relativam et absolutam.

§. 119.

De consilio generali Bibliorum N. F. male sentiunt Acatholici.

Nulla cognitio pro interprete christiano majoris momenti et, ut opinor, magis neglecta est, quam cognitio consilii generalis, quo Biblia N. F. scripta et nobis tradita sunt. Haec cognitio eo diligentius ob oculos tenenda est, cum nobis non licet his libris tribuere finem, ad quem non sunt destinati, ac invertere ordinem circa conservationem religionis divinitus institutum.

Quare hic singulari tractatu generale consilium Bibliorum N. F. diligenter considerabimus, licet forte non omnibus suo loco esse videatur.

Ante omnia distinguimus inter fundamenta religio-

nis, quibus divina ejus origo evincitur saltem iis, qui de veritate rerum gestarum, quae forte narrantur, non dubitant; et inter dogmata religionis, quae definiunt, quid sit credendum et quid agendum. Acatholici volunt, Biblia N. F. composita esse, ut quivis fidelium in his non tantum fundamenta religionis cognoscat, sed etiam ex iis completum systema dogmatum sibi eruat sine respectu ad aliam auctoritatem et traditionem.

At, qui ita sentiunt, toto coelo a veritate aberrant; nam hoc consilium scriptorum suorum occasionalium penitus ignorant apostoli, qui ex mandato divino in tradenda doctrina sua aliter versati sunt, et longe aliam dispositionem in Ecclesia ad conservandam religionem constituerunt, aptam pro omnibus hominibus illitteratis non minus quam litteratis.

Ut rem hanc tanti momenti accuratius cognoscamus, consideranda veniunt: 1. historia praedicationis apostolorum; 2. origo librorum; 3. indoles et argumentum eorundem; 4. conditio hominum; 5. modus, quo iidem libri traditi et recepti sunt.

§. 120.

Historia praedicationis apostolorum.

Apostoli praedicarunt ex mandato divino religionis doctrinam, et fundarunt in omnibus provinciis ecclesias, ita ut Paulus ad Coloss. I. 6 et 23 anno aere vulg. 52 scribere ausus sit, Evangelium praedicatum esse „in universo mundo, in universa creatura, quae sub coelo est.“

Potestate a Domino accepta usi singulis ecclesiis praeposuerunt episcopos et presbyteros in religione oretenus instructos ad fideles docendos et mysteria administranda. Ex multis locis rem hanc omnibus notam testantibus afferimus

Act. XX. 20, ubi Paulus ad testimonia seniorum ecclesiae ephesinae provocat: „Quomodo nihil subtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis et docerem vos publice et per domos."

Vers. 27—28 idem testatur: „Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis." Inde hortatur: „Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo." Monet, ut traditam per triennium doctrinam puram conservent contra lupos rapaces, qui surrecturi sint, non parcentes gregi etc. Idem in omnibus ecclesiis factum esse, nemo negat.

Floruerunt ergo ecclesiae primis jam pradicationis annis in Judaea, Samaria, Syria, Asia minori, in insulis, Graecia, Macedonia, Italia etc. etc., in quibus omnibus tradebantur religionis dogmata non tantum ab episcopis et presbyteris, sed etiam a diaconis et diaconissis catechumenis utriusque sexus. Paulus I. Tim. IV. 13 distinguit inter αναγνωσιν, παρακλησιν et διδασκαλιαν in ecclesiis usitatas, et Cap. V. 17 inter presbyteros, qui laborant in verbo et doctrina, et eos, qui non ita laborant. Rom. XII. 6—8 jam enumerat ut rem notam munera ecclesiastica, et quomodo administrari debeant, breviter innuit. Ex quo liquet, quam accurate doctrina religionis in ecclesiis tradi consuevit. Commendatur summo zelo ab apostolis doctrina orthodoxa (διδασκαλια ὑγιαινουσα, λογοι ὑγιαινοντες §. 62.), ut unice salutem afferens. Haeretici, i. e. aliam doctrinam sectantes tanquam lupi rapaces repraesentantur, tanquam membra pestifera a corpore Ecclesiae resecantur etc. Ex quo patet, doctrinam completam religionis jam ante scripta occasionalia N. F. ecclesiis non tantum fuisse traditam, sed etiam notissimam et maximi aestimatam.

Quod naturae rei et adjunctis consentaneum fuit, testa-

tur evidenter historia ecclesiastica e scriptis Patrum: habuerunt doctores christiani delineationem doctrinae religionis jam ante Biblia N. F. ex institutione apostolorum acceptam et obviam in ecclesiis, qua usi sunt maxime in catechumenis instruendis, et refellendis adversariis et haereticis, et docendis fidelibus, quam regulam fidei appellarunt. Ad hanc omnia referenda esse, ab hac nihil dissentire debere, etiam Patres postea passim docent.

Quod bene et ab apostolis jussi hoc fecerint antiqui illi doctores, liquet non tantum ex adjunctis et ex eo, quia Biblia N. F. nondum aderant, et ad dogmata definienda nec apta nec destinata sunt; sed etiam, quia inculcat Paulus II. Tim. I. 13—14: *Ὑποτυπωσιν εχε ὑγιαινοντων λογων, ὧν παρ' εμου ηκουσας εν πιστει και αγαπῃ τῃ εν Χριστῳ Ιησου. Την καλην παραθηκην φυλαξον δια πνευματος ἁγιου του ενοικουντος εν ἡμιν*, i. e. Delineationem, (exemplar) habe doctrinarum sanarum (orthodoxarum), quas a me audisti, in fide et charitate in Christo Jesu. Pulchrum depositum custodi per Spiritum S., qui habitat in nobis.

Haec *ὑποτυπωσις των ὑγιαινοντων λογων* etc. est profecto logice accurata definitio in lingua Pauli illius regulae fidei, quae aevo apostolico in ecclesiis erat obvia, a Patribus commendatur et ab antiquissimis doctoribus adhibebatur fere ut catechismus apostolicus. Paulum idem aliis quoque non tantum Timotheo commendasse, ex natura rei et facto historico de regula fidei liquet.

Etiam I. Tim. VI. 20 depositum fidei diligenter custodiendum commendat Timotheo: *Ω Τιμοθεε, την παρακαταθηκην φυλαξον*. In idem redit II. Tim. II. 1—2: „Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quae est in Christo Jesu, et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus (*πιστοις*) hominibus, qui idonei erunt et alios

docere.“ Et Cap. III. 14: „Tu vero permane in iis, quae didicisti et credita tibi sunt, sciens, a quo didiceris.“ Sic loquitur Paulus morti proximus et sollicitus de conservanda religionis doctrina.

Contra ne verbulum quidem legimus, ac si Apostolus sua et aliorum apostolorum scripta commendasset, imo de his neque mentionem facit. — Ex quo liquet: Paulus, qui, ut reliqui apostoli, divinam dispositionem certe sciebat, quomodo religionis doctrina tradi et conservari deberet, religionis doctrinam consideravit ut d e p o s i t u m orctenus traditum praesulibus ecclesiarum, i. e. magisterio ecclesiastico, a quibus per Spiritum S. adjutis hoc d e p o s i t u m fidei esset custodiendum et aliis ac successoribus tradendum. Quare tota doctrina religionis ab apostolis considerata fuit ut traditio magisterio ecclesiastico commissa atque ab eodem custodienda. —

Jam ex his in oculos incurrit, rejicere traditionem et auctoritatem magisterii Ecclesiae esse rejicere dispositionem apostolicam adeoque divinam.

Sana ratio nihil habet, quod huic traditioni opponat; nam magnum est discrimen inter traditionem aliquam historicam de re quadam, quae nonnisi ore populi propagatur et inde vario modo deformatur, et inter traditionem doctrinae religionis, quae in omnibus ecclesiis singulis diebus traditur et inculcatur, ab erroribus, qui forte irrepere possent, praeservatur et quidem fere nimia cura, — quae partim in praxin Ecclesiae transit et observatur, quaeque habet perpetuos custodes in praesulibus ecclesiarum, et saltem in r e g u l a f i d e i jam ante Biblia N. F. litteris quoque erat tradita.

Qui haec considerat, facile intelliget, hanc dispositionem etiam praescindendo ab assistentia supernaturali, quae promissa est, ad unitatem fidei adeoque Ecclesiae conser-

vandam longe aptiorem esse, quam scripta occasionalia apostolica, quae fragmenta tantum doctrinae religionis continent, stilo vulgari et cum accommodationibus nonnisi ad proximos fines composita sunt, a maxima fidelium parte neque legi, et a nemine in omnibus cum certitudine intelligi possunt, atque ita necessario a diversis diversimode explicantur.

§. 121.

Origo Bibliorum N. F.

Ex historia originis horum librorum satis patet, apostolos non habuisse intentionem aut divinum mandatum, ut scriptum quoddam componerent et fidelibus relinquerent, quod esset fons et norma dogmatum in sensu Acatholicorum. Si enim tale habuissent, certe ante omnia hujusmodi librum per modum catechismi historici conficiendum curassent, et modo solenni, ut Moses legem suam Deut. XXXI. ecclesiis tradidissent et commendassent. At nihil tale legimus; apostoli potius a Jesu edocti et divina sapientia directi magisterium perpetuum divino Spiritu dirigendum ecclesiis praeposuerunt.

Matthaeus enim non jussus ab apostolis, sed rogatus a popularibus suis, ut referunt antiqui, congessit in libello suo pro Judaeis conversis aut potius convertendis ea de nativitate, dictis, factis et fatis Jesu Nazareni, per quae cum vaticiniis A. F. comparata evincitur, eum esse Messiam in lege promissum, quod ad fundamenta religionis spectat.

Marcus a fidelibus quibusdam ecclesiae romanae qui scriptnm quoddam monumentum a principe apostolorum, aut ab ejus interprete habere volebant, rogatus repetiit in libello suo a Matthaeo narrata, paucissima addidit, plura omisit.

Lucas ad confirmandum Theophilum in religione suscepta exaravit τον πρωτον λογον, ut ipse appellat Act. I. 1, qui continet plura nova: alia tamen desiderantur, quae leguntur in Matth. et Marc.

Joannes sub finem vitae, adeoque exeunte sec. I. rogatus ab episcopis provinciae Asiae, quibus praeerat, contra errores eo tempore pullulantes scripsit libellum suum, qui merito ab eruditis consideratur tanquam tractatus historico-dogmaticus ad confirmandam Ecclesiae doctrinam de natura divina Jesu Ch., aut ut ipse ait Cap. XX. 31: „Haec scripta sunt, ut credatis, quia Jesus et Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.“

Quare haec scripta, quae Evangelia nominata sunt, in origine erant scripta occasionalia; imo ab auctoribus destinata, ut epistolae apostolorum pro ecclesiis et hominibus privatis tantum. Matthaei pro ecclesia hierosolymitana, aut saltem pro Judaeo-christianis, quod lingua originalis confirmat; Marci pro ecclesia romana; Lucae pro Theophilo; Joannis pro ecclesiis, qui erant in periculo seductionis contra auditam doctrinam. Inde neque in epistolis, neque actis apostolorum vel minimum vestigium occurrit de scripto quodam composito aut componendo, de tradito aut tradendo, quod esset norma dogmatum, cum tamen naturae consentaneum fuisset, ut scripta haec modo solenni ecclesiis traderentur, si mens apostolorum fuisset, ut haec scripta sint fons et norma dogmatum fidei et charitatis in eo sensu, in quo ab Acatholicis spectantur; imo Evangelium Matthaei originale hebraicum neque ab interitu conservatum est. Contra cura pro conservanda doctrina oretenus tradita, et obedientia praesulibus ecclesiarum praestanda ubique inculcatur.

Dominus ipse Joann. XVI. 12 ait: „Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum

autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem." Et tamen Evangelia neque a longe continent omnia, quae dixerat Dominus, ut ex variis locis apparet.

Acta Apost., quae a Luca ut Evangelium in gratiam Theophili scripta sunt, continuant argumentum de divina religionis origine, et continent fundationem Ecclesiae per Spiritum S., et quidem primo inter Judaeos solos, dein inter Judaeos et gentiles simul, et plura, quae ad constitutionem Ecclesiae spectant. Denique a Cap. XVI. fata et facta quaedam Pauli usque ad annum 63. aerae v.

Epistolae et ipsa Apocalypsis non sunt, nisi scripta apostolorum variis occasionibus composita, quae his occasionibus quidem satisfaciunt; licet stilo vulgari ad ακριβειαν scholae non composito, et cum accommodationibus exarata. At de tradenda integra quadam religionis doctrina aut systemate dogmatum nullus auctorum sacrorum ne cogitavit quidem; supponunt potius omnes doctrinam religionis oretenus traditam; imo naturae consentaneum fuit, ut de illis doctrinis, de quibus constabat inter omnes, nihil scriberent, et, si nullae lites nullive errores exorti fuissent, aut si apostoli ubique praesentes esse potuissent, neque haec scripsissent. — Quis jam sana mente praedites dixerit, his scriptis apostolos tradere voluisse completam religionis doctrinam?

Quis porro non rideat hunc modum tradendi systema dogmatum? Quaestionem de obligatione legalium apostoli in concilio Act. XV., solenni modo deciderunt et ecclesiis tradiderunt, et totum systema dogmatum tradendum ecclesiis scriptis forte componendis reliquerunt. — Septem apostolorum nihil, Petrus, Jacobus, Judas pauca, Paulus et Joannes plura scripserunt. Marcus et Lucas neque erant apostoli. Quaedam Epheso missa sunt Corinthum, alia Corintho Romam, alia Roma Ephesum, Colossas etc.

Quaedam hoc, alia alio tempore scripta sunt ad homines et ecclesias privatas intra spatium 60 circiter annorum. — In quo nemo prudens aliquid reprehendet, cum occasiones ita tulerunt. At credere, apostolos hoc modo hisque in scriptis systema dogmatum tradere voluisse, et sanae rationi et apostolis injuriam infert.

Quomodo enim satisfecissent officio suo apostoli, si rem tanti momenti tam negligenter et absurde tractassent? Nonne potius officium suum violassent projiciendo haec scripta ut pomum discordiae inter fideles, apostoli, qui ubique unitatem fidei et Ecclesiae ac doctrinam orthodoxam tanto rigore exigunt? — At non haec fuit eorum mens in scriptis suis occasionalibus, sed Paulus, ut vidimus, Timotheo sicut omnibus praesulibus ecclesiarum commendavit, ut diligenter custodiat depositum; ut ea, quae ab ipso audivisset, traderet aliis, qui idonei visi fuerint ad alios docendos; ut habeat ὑποτυπωσιν orthodoxarum doctrinarum fidei et charitatis christianae. De scriptis suis occasionalibus et aliorum apostolorum ne mentionem quidem facit.

§. 122.

Indoles et argumentum Bibliorum N. F.

Quod patet ex historia praedicationis et origine librorum, confirmatur eorum indole. Non est difficile observare, libellos N. F. esse quidem idoneos ad fines, ad quos scripti sunt, non vero ad systema dogmatum definiendum. Quare ut philosophi ex indole et proprietatibus rerum recte ad illarum finem concludunt; ita et nobis licitum erit inferre, ad eum finem libros istos compositos non esse, ad quem ex indole sua idonei et apti non sunt.

Jam plura ad religionem spectantia in Bibliis N. F. nequidem tanguntur; alia vera tanguntur quidem, at minus accurate, et obiter, ut diversimode intelligi possint, et revera diversimode intelligantur. Alia centies inculcantur. Etiam ea, quae historice saepius tanguntur, imo quodammodo et explicantur, non tamen ita definiuntur, ut de vero sensu nullis litibus et dubiis locus sit; exemplum nobis praebet mysterium Eucharistiae.

Stilus, ut diximus §. 83., est saepe vulgaris ad ακρίβειαν scholae ac rigorem logicum tam parum compositus, ut sine pravia rerum cognitione expressiones recte intelligi non possint. Nullae interpunctiones ab auctoribus sacris adhibitae, et multa millia lectionum variantium non raro rixis et dubiis ansam praebent. Adsunt accommodationes paedagogicae, morales et negative dogmaticae, ut nemo negat, §. 84., a quibus locis ad absolutam religionis doctrinam concludi non potest. Lac dederunt nonnunquam parvulis in Christo, non solidum cibum. Qua in re sapienter egerunt apostoli; sed ii male faciunt, qui eorum scriptis finem seu consilium tribuunt, de quo ipsi non cogitarunt, et dispositionem invertunt, quam Jesus et apostoli circa conservationem doctrinae traditae constituerunt.

Considerata hac indole Bibliorum nemo mirabitur, tantam esse interpretum discordiam, ut vix gravior locus inveniatur, qui non a diversis diversimode explicetur; nec mirum, omnes sectarios ad errores suos confirmandos ad hos libros provocasse; nec dubitabit quispiam, si plures haberemus sectas, adhuc plures nos habituros interpretationes.

Si ad argumentum eorundem Bibliorum respicimus, inprimis nec minimum indicium occurrit de consilio tradendi systema dogmatum, in quorum possessione ecclesiae fuerunt diu ante Bibliorum originem et propagationem. Praeterea unitas fidei ut a ratione et natura rei, sic in iisdem scriptis

ubique postulatur, ita ut sine hac nulla salus speranda sit. Haeretici repraesentantur ut homines per semetipsos condemnati, Tit. III. 10—11, fugiendi ita, ut fideles his deceptoribus neque ave dicant, II. Joann. 7—11, superbi I. Tim. VI. 3, lupi rapaces, falsi prophetae, antichristi, I. Joann. II. 22 etc.

Doctrina orthodoxa (διδασκαλια ὑγιαινουσα, λογοι ὑγιαινοντες) ubique summo rigore requiritur, Act. XX. 26—31, Tit. II. 1, II. Tim. II. 2, IV. 3 etc. Quis ergo neget, doctrinam orthodoxam fidelibus jam fuisse traditam? aut quis dicat, hanc e mente apostolorum ex nostris Bibliis fuisse hauriendam? — —

Eodem rigore requiritur unitas Ecclesiae, corporis Christi, quae dicitur domus Dei, columna et firmamentum veritatis, Ephes. IV. 3—14, I. Tim. III. 15. Quis vero non dementes haberet apostolos, si ab interpretatione nostrorum librorum cuivis relicta unitatem fidei et Ecclesiae exspectassent? (Ut nihil dicam, quod magna eorum pars nondum exstiterit). At haec dementia non cadit in apostolos, sed in eos potius, qui ipsis consilium tribuunt, quod penitus ignorarunt. Qualis fuerit mens apostolorum circa conservationem religionis, ex eodem argumento discimus. Considerarunt, ut audivimus, religionis doctrinam ut depositum (παρακαταθηκην) praesulibus ecclesiarum a Spiritu S. constitutis traditum, ut illud conservarent et traderent non tantum fidelibus, sed etiam et quidem praecipue successoribus suis, qui eodem munere functuri essent a Spiritu S. adjuti. Inde Paulus morti proximus Timotheo non scripsisse legitur: Collige mea et aliorum apostolorum scripta, atque haec a lectionibus variantibus immunia conserva etc., sed ut habeat ὑποτυπωσιν, de qua diximus, ut depositum fidei diligenter custodiat.

§. 123.

Conditio hominum, quae auctoritatem requirit.

Qui Deum ipsum religionis et Ecclesiae christianae auctorem venerantur, non possunt aliam dispositionem ad conservationem religionis et Ecclesiae a divino auctore exspectare, quam talem, quae convenit cum conditione hominum, qui ad illam vocati sunt, quique secure et sincere scire volunt, quid ipsis sit credendum et quid agendum. — Jam vero Biblia sola in sensu Acatholicorum fidelibus tradita ad hunc finem prorsus inepta esse etiam ex conditione hominem liquet, qui quoad majorem partem neque linguam vernaculam legere sciunt, quos tamen Dominus non minus, quam litteratos et philosophos ad religionem suam et salutem aeternam vocavit.

Quid jam his faciendum? Quem interpretum sequantur? Ad interpretandos utcunque hos libros etiam in iis, quae continent, requiruntur dotes et doctrinae, quas paucissimi habent, et etiam hi eam certitudinem, quae ad dogmata statuenda requiritur, saepissime frustra quaerunt, imo doctissimi in diversissima interpretationis consectaria abeunt, et si sinceri esse volunt, saepe ipsi nesciunt, quid de hac vel illa re juxta Biblia sola sentiendum sit.

Nec tantum in rebus indifferentibus, sed etiam in doctrinis gravissimi momenti, ut est ipsa divinitas Jesu Christi, discordia observatur. Quanta insuper sit hominum astutia atque fallacia, abscondita in cordibus superbia, et quem malum influxum praejudicia intellectus et cordis in biblicam interpretationem et qualemcunque habeant, tristis experientia quotidie docet. — Erimus ergo parvuli fluctuantes, qui circumferuntur omni vento doctrinae, contra quod malum tamen e mente Apostoli Ephes. IV. 14 Ecclesia Jesu

Christi nos conservare deberet. Quis sana mente praditus divino religionis auctori talem dispositionem tribuere audeat? Actum esset non tantum de unitate fidei et Ecclesiae, sed etiam de religione ipsa, si Christiani non aliam auctoritatem in dogmatibus statuendis sequerentur, quam libros N. F.

Cum vero homines ex conditione sua in negotio religionis auctoritatem aut legitimam aut spuriam necessario sequantur; a divino ejus auctore omnino exspectandum est, ut ipse auctoritatem constituerit, quam ejus cultores sequi debeant. De hac re summi momenti, sive ad dispositiones Domini, quatenus nobis innotescunt, sive apostolorum respiciamus, dubium non relinquitur.

Christus Dominus unam societatem religiosam seu Ecclesiam in terra fundaturus duodecim, ut constat, apostolos elegit, eisque mandatum dedit, ut doctrinam suam praedicarent omnibus creaturis; (de componendo libro nihil). Simul eos magna auctoritate instruxit, ita ut de eis valeret illud Luc. X. 16: „Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit, et qui me spernit, spernit eum, qui misit me."

Sicut auctoritate, ita etiam potestate apostolos instruxit, ad quam spectabat facultas transferendi potestatem a Domino acceptam in successores, ita ut, quae dixit Christus de apostolis, etiam de eorum successoribus intelligenda sint. Promisit iisdem Spiritum S. et assistentiam suam usque ad finem mundi, Matth. XXVIII. 19—20.

Satisfacientes illi mandato et usi potestate divinitus concessa fundarunt, ut diximus, ecclesias, eisque alios in religione oretenus satis instructos doctores et mysteriorum dispensatores constituerunt, quos tanquam a Spiritu S. constitutos declararant, Act. XX. 28: „In quo vos Spiritus S. posuit episcopos regere (ποιμαίνειν) Ecclesiam Dei."

Hos a Spiritu S. constitutos praesules ecclesiarum audiendi, eisque obediendi obligationem imposuerunt fidelibus apostoli: „Obedite praepositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes; hoc enim non expedit vobis.“ Hebr. XIII. 17. Item I. Petr. V. 1—5 etc. Proin ex his et antea dictis patet, praesules ecclesiarum ab apostolis constituti sunt religionis Jesu Chr. doctores divina auctoritate instructi, hisque doctrina religionis ut depositum diligenter custodiendum tradita est.

Uni tamen apostolorum singularem quandam et eminentem auctoritatem concessit Dominus, scilicet Simoni, fratri Andreae, cujus nomen ad hoc ipsum indicandum mutavit in Cepham, Petrum. Huic inaedificavit Ecclesiam suam cum splendido promisso, potentiam infernalem non praevalituram esse contra illam Matth. XVI. 15—20, ac tradidit illi potestatem clavium et munus pascendi agnos et oves suas modo singulari. Joann. I. 36—42, XXI. 15—17.

Hanc potestatem eminentem Petrus variis occasionibus exercuit et factis et miraculis eminens inter apostolos, ut patet ex Act. apost. Referente Petro Matthias eligitur in locum Judae, et non minus consideratur ut apostolus, quam illi, qui a Domino ipso electi erant. Petrus ubique loquitur et facit miracula. Petro soli revelatur a Domino, cessare nunc legalia Mosis, et gentiles recipiendos esse in Ecclesiam etiam incircumcisos; et reliqui apostoli omnes consentiunt. Praesidet in concilio hierosolymitano Act. XV., ubi apostoli et seniores utpote doctores divinitus constituti dubia circa religionem nota formula solverunt: „Visum est Spiritui S. et nobis“ etc. Huc refero etiam epistolas Petri, ut in Introductione videbimus.

Haec praerogativa uni a Domino delata est non tam propter apostolos, quam propter Ecclesiam, quae per orbem

dispersa communi capite et centro unitatis carere non potest. Praerogativa haec, quae primatus dicitur, semper Ecclesiae romanae, quam juxta antiquos fundavit, cui praefuit, et in qua martyrium subiit Petrus, annexu credebatur. Ex quo liquet, magisterium ecclesiasticum per commune caput divinitus unitum vivum ac perpetuum, seu successores apostolorum utpote doctores a Spiritu S. constitutos efficere in sua unione et subordinatione illam auctoritatem, quam pro hominibus in religione necessariam cognovimus.

Haec dispositio est unice apta pro conditione hominum, ac proin sola Deo digna.

§. 124.

Modus, quo Biblia N. F. tradita et recepta sunt.

Apostolos summa cura fidelibus inculcasse, ut traditam religionis doctrinam puram et illibatam conservarent, atque praesentes et futuros haereticos evitarent, ex innumeris locis evidenter elucet. Eosdem vero sua scripta occasionalia omnibus ecclesiis tradere voluisse nullum vestigium apparet; ex eorum structura contrarium potius elucet. Similiter inculcarunt fidelibus, ut praepositis ecclesiasticis obedientiam praestarent: at ut sua scripta colligerent, conservarent, ceu fontem et normam dogmatum considerarent et posteris traderent, ne minimum quidem nutum deprehendimus.

Nihilominus viventibus adhuc et praecipue defunctis apostolis collecta sunt etiam ab illis fidelibus, quibus ab auctoribus non erant destinata, non tamen, ut religionis dogmata cognoscerent, in quorum possessione jam diu fuerant, sed ex veneratione erga apostolos, et tanquam monumenta historica de origine religionis suae, in quibus de-

esse non poterant, quae ad instructionem et aedificationem inservirent.

Collectio haec non ab apostolis, ne solenni judicio primitivae Ecclesiae, sed fere fortuita tantum conventione fidelium facta in diversis ecclesiis diu erat diversa: at non diversa erant dogmata — imo per secula floruit Ecclesia, antequam canon Bibliorum N. F. stabilitus est. — Nec vestigium invenitur, primos fideles sollicitos fuisse in archetypis conservandis, in quo certe diligentiores fuissent, si de his scriptis eodem modo, ut Acatholici cogitassent. Inde de his nullum vestigium occurrit, et primis jam temporibus in codices multa millia lectionum variantium irrepserunt, ut in Introductione videbimus.

Sicut apostoli haec sua scripta occasionali ecclesiis non tradiderunt ut normam et fontem dogmatum, sic nec primi Christiani de his ita cogitarunt; et licet illa conquirerent, haberent et lectitarent; tamen retinuerunt dogmata ab apostolis oretenus tradita, regulam fidei, et ut audivimus, ad hanc omnia reducenda esse docuerunt: ad hanc instruxerunt, ut antea, catechumenos, ac refutarunt adversarios et haereticos omnino ad mentem Pauli, qui per suam ὑποτυπωσιν των ὑγιαινοντων λογων fidei et charitatis christianae (II. Tim. I. 13) certe non aliud intelligit, quam regulam fidei vivis apostolis in ecclesiis obviam, quique semper ut Act. XX., vigilantiam pro doctrina oretenus tradita, quam depositum appellat, praesulibus ecclesiarum inculcavit.

Quare Patres omnes praeter scripta occasionalia apostolorum seu Biblia N. F. Ecclesiae traditionem et auctoritatem agnoscunt. Haeretici fuerunt illi, qui spreta traditione et auctoritate magisterii ecclesiastici Biblia sola receperunt, et, ut semper fit, ad sua principia interpretati sunt.

Irenaeus Cap. IV. 1 contra haereses scribit: „Tantae

igitur ostensiones quum sint, non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, quum apostoli quasi in **depositorium** dives plenissime in eam contulerint omnia, quae sint veritatis; uti omnis, quicunque velit, sumat ex ea potum vitae. Haec est enim vitae introitus; omnes autem reliqui fures sunt et latrones. Propter quod oportet devitare, quidem illos; quae autem sunt Ecclesiae, cum summa diligentia diligere, et apprehendere veritatis traditionem" etc. Idem S. Pater ubique consideret religionis doctrinam ut **depositum** ecclesiis traditum, et episcopos ut ejus doctores ex institutione divina.

Teste Tertulliano haereticorum fallacia et astutia jam eo tempore materiam rixarum et contradictionum sumsit ex Bibliis N. F., quod eorum indoles facile permittit; ait enim in libro de praescriptionibus haereticorum Cap. XVII. inter alia: „Quid promovebis exercitatissime scripturarum, cum, si quid defenderis, negatur ex diverso, si quid negaveris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes nisi vocem in contentione, nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione. Ille vero, siquis est, cujus causa in congressum descendis scripturarum, ut eum dubitantem confirmes, ad veritatem an magis ad haereses deverget? hoc ipso motus, quod te videat nihil promovisse aequo gradu negandi et defendendi diversa parte statutum: certe de pari altercatione incertior discedet nesciens, quam haeresin judicet."

Inde merito ad **regulam fidei** et auctoritatem traditionis redeundum esse defendit.

His omnibus consideratis in oculos incurrit, Biblia N. F. neque a longe eum finem habere, quem ipsis tribuunt Acatholici; hunc penitus ignorarunt apostoli, qui considerarunt religionis doctrinam tanquam **depositum** magisterio ecclesiastico traditum, ab eoque per assistentiam Spiritus S. custodiendum et tradendum fidelibus et successoribus

suis. Isti proin sunt ex dispositione apostolica **depositarii**, **custodes** et **doctores** religionis Jesu Christi divinitus constituti, quibus assistentia Spiritus S. usque ad finem mundi promissa est. Omnes reliqui nonnisi per nefas sibi arrogant facultatem definiendi dogmata et administrandi mysteria religionis Jesu Christi. — Quapropter ut quis sit verus Christianus, non opus habet, nisi ut in rebus religionis audiat auctoritatem a Domino in Ecclesia constitutam.

§. 125.

Consilium principale Bibliorum N. F.

Quamvis apostoli scripta sua occasionalia nullibi tanquam fontem et normam dogmatum tradiderunt; tamen fideles ipsumque magisterium Ecclesiae eadem scripta ex veneratione erga apostolos collegerunt, ex illis divinam originem religionis et Ecclesiae probarunt, et dogmata sua, in quantum commode fieri poterat, illustrarunt, et virtutis exempla hauserunt.

At nunquam in mentem venit consiliis definire, ac si omnia ad religionem spectantia, nescio quo casu, in haec scripta influxerint, aut ac si dogmata Ecclesiae minus essent dogmata, quia vel omnino non, vel minus accurate vel cum accommodatione in his tanguntur. Aeque parum definitum est, ac si dispositio divina esset, quam penitus ignorant apostoli, ut quivis fidelium neglecto et spreto magisterio a Jesu Chr. constituto sibi inde religionis dogmata eruat; sed hoc ipsum magisterium traditionem necessariam declaravit, et interpretationem authenticam dogmatum vi officii sui sibi semper reservavit.

Scopus jam seu consilium principale Bibliorum N. F. respiciendo ad eorum argumenta ad tria potissimum reduci

potest, quae sunt: a. divina religionis christianae origo; b. fundatio Ecclesiae, et c. aedificatio moralis: seu fusius: quae potissimum docent Biblia N. F. sunt:

a. Jesus Nazarenus se demonstravit promissum in A. F. Messiam, Filium Dei; proin divina est religio ab eo tradita et salvat hominem in aeternum. Haec in Evangeliis finem principalem efficiunt, et religionis fundamenta constituunt.

b. Fundavit per Spiritum suum pro omnibus hominibus societatem religiosam, seu Ecclesiam perpetuo duraturum, cui dedit in apostolis eorumque successoribus vivum ac perpetuum magisterium a Spiritu suo dirigendum. Hoc proin docet auctoritate divina, ejusque auctoritatem rejicere est rejicere auctoritatem a Jesu Chr. constitutam.

c. Referuntur multae pulcherrimae doctrinae cum theoreticae, tum praesertim morales, licet sine systemate, stilo vulgari ad ακριβειαν scholae et rigorem logicum non composito et cum accommodationibus. Quare haec Biblia ex fine suo spectata et adhibita unacum traditione sub auctoritate legitima magisterii Ecclesiae sunt utilissima: secus vero sunt pomum discordiae, et scindunt Ecclesiam, quae una esse deberet.

Denique virtutis exempla ibidem leguntur et vaticinia, quibus lectores ad pietatem et perseverantiam in religione excitantur.

§. 126.

Consilium singulorum librorum.

A considerato consilio generali omnium Bibliorum transimus ad consilium singulorum librorum, cujus cognitio non levia commoda praebet interpreti, praesertim si liber non est amplior, nam consilium est finis, ad quem oratio

dirigitur ita, ut non solum singulae illius partes, sed ipsum quoque dicendi genus ad eundem conformetur.

Inde primo per cognitionem consilii vaga et multiplex verborum significatio saepe definitur, et ad unam satis determinatum notionem restringitur. II. Joann. 7.: „Qui non confitentur, Jesum Christum venisse in carne,“ haec rite intelligi non possunt, nisi ab eo, qui novit Joannis consilium loquendi contra Docetas.

Praeterea in stilo vulgari ad ακριβειαν scholae non composito significatio verborum nonnunquam variat ita, ut nonnisi attendendo ad consilium, si notum fuerit, in dato loco rite intelligi possit. Ex fine, quem habet Paulus Rom. VII. describendi naturalem hominis perversitatem, patet, Vers. 20 et seq. ἁμαρτιαν non significare peccatum, sed potius corruptam hominis indolem.

Proin cognito rite consilio ab interprete adhibere potest regula per se evidens: Sensus, qui scopo libri repugnat, falsus: qui vero solus illi convenit, aut saltem magis convenit, quam omnis alius, verus recte censetur, siquidem in hominem sana mente praeditum non cadit, ut finem in loquendo deserat, et huic repugnantia proferat. Huic regulae affinis est alia: Interpretationis notio ultra terminos consilii non est extendenda, aut infra eos deprimenda i. e. nec plus nec minus indicari supponatur, quam quod congruit cum cognito orationis consilio. Qui Gal. III. 10—13 ita intelligeret, ac si e mente Pauli observatio legalium Mosis pro ipsis Hebraeis inutilis fuisset, erraret, et terminos consilii transgrederetur.

Denique cur auctor libri quaedam afferat, alia omittat, quaedam breviter, alia fusius tractet etc., nonnunquam sat bene ex illius scopo declaratur. Si spectemus, consilium Joannis in Evangelio suo, quod fuit, ut Christo naturam vere divinam vindicaret; facile nobis declaramus, cur omissa

genealogia incipiat ab existentia aeterna τοῦ Λόγου in sinu Patris, a creatione omnium rerum per Λόγον etc.; cur tam sedula afferat testimonia Joannis Bapt. de illius origine coelesti ac dignitate divina; cur referat diligentius, quam reliqui Evangelistae sermones Domini, quibus suam dignitatem et naturam divinam indicavit, e. g. Cap. VI. 38, VIII. 58, XI. 4, XII. 28, XIII. 31, XVI. 14, 15 etc.

§. 127.

Consilium auctoris spectandum est.

Solent theologi in Bibliis praeter consilium proximum etiam remotius distinguere; at certe saepius minus bene, tribuentes auctoribus finem, de quo non cogitarunt. „Rei natura requirit, ut ad consilium verum attendamus, quod auctores ipsi ob oculos habuerunt, non ad imaginarium, quod eis tribuere sine ratione sufficiente quibusdam placuit. Ex illo libri, eorum conformatio et argumenta judicentur, nec postuletur, ut apti et idonei sint ad finem, quem eis perperam imputamus.

Tota revelatio A. F. judicanda est ex fine proximo perducendi rudem populum ad aliquam culturae gradum, ac conservandi in illo veram licet minus perfectam Dei cognitionem ac cultum, donec veniret tempus, quo religio sensualis et particularis in spiritualem et generalem transire posset.

In ipsis scriptis apostolicis quaedam minus bona videntur, nisi judicentur ex consilio, quo composita sunt. Matthaeus e. g. ut constat, scripsit pro Judaeis. Inde non est mirandum, Evangelistum usum esse modo citandi ex Bibliis A. F., qui inter Judaeos eo tempore invaluerat, et generatim se attemperasse eorum cogitandi rationi, sicut

videmus in genealogia. (Vide 2. homil. Joann. Chrys. in Matth.), dum enumerat progenitores Josephi, licet juxta ipsum Matth. ad existentiam Domini nihil contulerit.

Quod vero omnium tristissimas sequelas habet, illud est, quod libellis sacris N. F. consilium imputatur, ut fideles ibidem omnia ad religionem spectantia invenirent, et religionis dogmata sibi inde definirent, de quo nemo auctorum sacrorum cogitavit. Quare ordo circa conservationem religionis divinitus constitutus invertitur, legitimum magisterium ac traditio contemnitur, unitas fidei et Ecclesiae tollitur, homines sibi arrogant munus docendi et mysteria administrandi, qui ad hoc non sunt vocati, omnibusque haeresibus janua aperitur.

Ex quo liquet, quanti momenti sit, ne Bibliis fines imputemus, quos eorum auctores ignorarunt.

§. 128.

Consilium partium.

Si liber amplior fuerit, adeoque multis et diversis partibus constat, scopus totius libri a consilio singularum partium plerumque adeo distat, ut his parum lucis affundat. Quare eo elaborandum est interpreti, ut praeter scopum totius libri etiam singularum partium consilia cognoscat, quas interpretatur.

Accedit, quod consilium totius libri saepius multiplex esse soleat, ita ut ad unitatem reduci non possit. In epist. ad Gal., licet non magnae extensionis, partes distingui possunt: a. Apostolus sibi vindicat auctoritatem apostolicam, veramque religionis cognitionem; b. ostendit inanem esse observantiam legalium Mosis pro Christianis; c. pro horum observatione inculcat veras virtutes.

Ex his patet magni momenti esse, ut interpres partium quoque Bibliorum consilia teneat. Quae si cognoverit, regulas, quas supra de consilio integri libri tradidimus, in partibus interpretandis eo majori jure observabit, quo arctius plerumque pars cum suo consilio, quam cum scopo totius libri cohaeret. Sed plura alia sunt, quae ex consilio rite cognito intelliguntur, quorum praecipua enumeramus.

§. 129.

Utrum expressio tropice vel proprie sumenda sit.

Loquentium aut scribentium scopus aut in docendo, aut movendo ac delectando versatur. In primo casu loquens alios nova quadam cognitione facti, doctrinae, ritus etc. imbuere, adeoque claras et distinctas de his in illis notiones producere intendit, quae proprio, non tropico dicendi genere obtinentur. Quando proin loquens alios docere voluit, a metaphoris, quae errori ansam dare potuissent, abstinuisse recte putatur, ejusque verba proprie non tropice intelligenda sunt.

Ex hac ratione iis minime assentiendum est, qui Matth. XXVIII. 19: „Baptizantes eos“ etc. et Joann. XX. 22: „Quorum remiseritis peccata“ etc., et illud Matth. XXVI. 26: „Hoc est corpus meum“ etc. tropice, non proprie interpretari volunt.

Omnium minime in didactico dicendi genere talis interpretatio admittenda est, qua admissa fere cogitari deberet, loquentem auditores suos decipere voluisse. Qui illud Joann. XIV. 16: „Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, qui maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere,“ de promissione

ordinarii tantum auxilii providentiae interpretatur, Jesum apostolos suos decipere voluisse supponit.

Si vero loquentes in movendo ac delectando versantur, etiam insolentiores et rariores tropos adhibere solent; nam in hoc casu loquentes veritate et gravitate rei, quam tractant, commoti acumen ingenii intendunt, ac viva sua phantasia, quae similitudinibus et metaphoris gaudet, audientium quoque animos erigunt, ad sublimiores sensus rapiunt, et affectibus excitatis ad finem suum flectunt; quod dum fit, in auditoribus delectatio quaedam consequitur, quae sive hoc sive alio modo producta tanquam medium, non vero tanquam finis in Bibliis consideranda est.

§. 130.

Quaenam sint essentialia, et quaenam accidentalia.

Quilibet nonnihil cultior non nude, sed plerumque plus minusve ornate notiones suas communicare solet, ut eo certius finem suum consequatur. Quare addit quaedam, quae ad ornatum potius orationis, quam ad sensum seu doctrinam ipsam spectant. Inde interpretis est distinguere, quae ornatus causa adsunt, ab iis, quae ad sensum ipsum a loquente aut agente spectatum, adeoque ad essentiam pertinent. Qui pro diverso fine dicta aut acta confunderet, ineptissimas nonnunquam interpretationes proferret, e. g. in allegoriis, imaginibus, actionibus symbolicis, parabolis.

Hoc vero discrimen vix aliunde cognoscitur, quam ex consilio rite cognito juxta sequentem regulam: Quae salvo consilio orationis aut actionis adesse vel abesse possunt, accidentalia: quae autem salvo illo consilio abesse non possunt, recte essentialia censentur. Annulus in parabola de filio prodigo Luc. XV. 22 est accidentale quid. In

imagine Ezechielis XVI. multa nonnisi amplificationis causa occurrunt; et sic passim.

§. 131.

In quanam extensione, et quomodo dictio sumenda sit.

Sicut auctores profani, ita etiam sacri saepe ita loquuntur, ut, nisi dicta considerentur in respectu ad consilium loquentis, aut (si hoc expressum non est), nisi loquenti prudens consilium tribuatur, verba in sensu perverso intelligi possint. Multum erraret, siquis I. Joann. II. 20: „Vos unctionem habetis a Sancto, et scitis omnia," hoc omnia sine restrictione ad consilium loquentis intelligeret. Aeque erraret, siquis sententias obvias sine prudenti restrictione acciperet, e. g. Labor omnia vincit. Quare interpres singulas dictionis partes e consilio loquentis interpretabitur, si notum fuerit: aut dictis prudens consilium imputabit, si nullum consilii indicium praesto est, atque ita dijudicabit: Utrum dicta de universis, vel de majori tantum parte valeant, e. g. Matth. XXIII. 25: „Vae vobis scribae et Pharisaei hypocritae!"

Utrum absolute vel conditionate dicta capienda sint. Matth. XIX. 24: „Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum."

Utrum quaedam dicta totum, quod intenditur, contineant, vel tantum per modum exempli adsint. Quae Jesus Matth. XIX. 18 ad vitam aeternam consequendam necessaria declarat, ut patet ex adjunctis, nonnisi tanquam exempla pro omnibus viri boni officiis adsunt.

Utrum dicta praecepti vel consilii vim habeant, ut illud Matth. XIX. 21.

Quousque comparationis tertium extendendum sit, i. e. quousque duae res comparatae ex mente loquentis conve-

niant, et ubi inter se convenire cessent. Apoc. V. 5: „Vicit leo de tribu Juda." Quatenus Christus cum leone conveniat, et quatenus non conveniat, cum ex natura rerum, tum ex consilio sermonis dijudicatur. Idem valet de typis et figuris.

§. 132.

Consilium rerum, seu sensus mediatus.

In parte isagogica satis demonstravimus, sensum mediatum sacris litteris et oeconomiae revelationis revera inesse. Difficultas tamen nonnunquam in eo versatur, ut definiatur, ubinam auctor sacer, aut Deus auctorem et fata dirigens vel quaedam imperans et instituens, sensum mediatum et qualem intenderit. Facile praeterea observamus, ut diximus, familiare esse prophetis, unum nominare et alterum indicare. At definire, quando res nominata litteraliter, et quando ut imago alterius, et cujusnam sumenda sit, saepe non caret difficultate.

Cognitio linguarum et scientiae, si ad Biblia rite intelligenda generatim non sufficiunt, in mysteriis, ad quae sensus mediatus in quibusdam merito refertur, omnium minime sufficere videntur, siquidem facile fieri potest, quod dicit Paulus I. Cor. II. 14, ut animalis homo non percipiat ea, quae sunt Spiritus Dei. Etiam II. Pet. I. 20—21 innuitur, quae inspirata sunt a Spiritu S., nonnisi per eundem Spiritum rite intelligi. Inde forte sensus mediatus tot nunc habet adversarios.

Licet vero res, quam hoc loco consideramus, vires mere humanas superare videatur, tamen indiciis Scripturae adjuti sequentes regulas statuimus:

1. Sensus mediatus agnoscendus est, si ex indiciis aut

contextu apparet, actiones quasdam aut instituta habere quandam significationem.

Talis habetur circumcisio, ut innuitur Deut. X. 16: „Circumcidite ergo praeputium cordis vestri, et cervicem vestram ne induretis amplius.“ Talia habentur festa A. F. et sacramenta N. In baptismo ablutio non tantum significat purgationem moralem, sed immersio in aquam explicatur a Paulo Rom. VI. 3—11 ut significans sepulturam hominis veteris, et emersio ex aqua ejus resurrectionem ad vitam Deo consecratam; saltem haec significatio declarationi Apostoli subesse videtur. Victimas foederum et sacrificia pro peccato et delicto significationem habuisse constat, et quidem sors animalis, quod immolabatur praefiguravit sortem foedifragi. Jerem. XXXIV. 18—19. Victimae cruentae similiter significarunt poenas illius, pro quo sacrificabatur.

2. Actiones editae a quodam, quae apud nationem, in qua vivit, certam significationem habent, sine dubio sensum mediatum exprimunt, et quidem illum ipsum, qui per illas indicari solebat, licet nulla adsit explicatio.

Sacrificium in genere simul actio symbolica fuit, cujus sensus constabat antiquis. Sacrificans, dum victimam in sui locum substituit, eamque coram Deo destruxit et quasi in nihilum redegit, profitebatur proprium nihilum in comparatione cum Deo rerum omnium auctore et conservatore. Oblationes quoque omnis generis sensum aliquem habuisse nemo negabit. Talis fuit actio Jeremiae, dum jugum collo portavit, et Isaiae, dum nudus i. e. solo Ihhram cinctus incessit.

3. Si actio quaedam occurrit peracta aut imperata a persona sapiente aut ab ipso Deo, quae sine consilio aut imprudens dici deberet, nisi altius quid denotaret; statuendum erit, subesse sensum mediatum, symbolicum.

Talis est actio narrata Matth. XXI. 18—20, Marc.

XI. 12—14, ubi Christus ficulneam arefecit; item scissio veli moriente Domino cum reliquis phaenomenis. Huc spectant ritus mosaici, licet significatio eorum quoad maximam partem in tenebris antiquitatis lateat; nihil enim sine consilio institutum esse putamus. Ritus profesto expiationis praescripti Levit. XVI. typice explicantur Hebr. IX. etc.

4. Si verum est, quod Paulus dicit, legem antiquam fuisse umbram novae, finemque legis esse Christum, Rom. X. 9; non sine ratione sufficiente A. F. instituta, fata etc. ita declaramus, ut in N. F. sensum mediatum inveniant, praesertim si accesserint quaedam indicia specialia in sacris litteris ipsis id confirmantia.

Agnus paschalis sine dubio praefiguravit Agnum divinum, qui abstulit peccata mundi. Joann. I. 29: „Pascha nostrum immolatus est Christus." I. Cor. V. 7. Quod sacrificia expiatoria A. F. relationem aliquam habuerint ad sacrificium Salvatoris, atque inde vim suam expiandi et sacrificandi hauserint, eo minus dubito, quo apertius talia in scriptis N. F. innuuntur. Exod. XXIV. 8 legimus: „Ille (Moses) sumtum sanguinem respersit in populum et ait: Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus."

Simili modo Matth. XXVI. 28 dixit Christus: „Hic est enim sanguinis meus novi testamenti (foederis), qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum." Inde Jesus ubique consideratur ut victima expiatoria pro genere humano, ut „Agnus, qui occisus est ab origine mundi," post quem cessent sacrificia. Joannes Bapt., quamprimum vidit Jesum, exclamavit: „Ecce agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi." Talia passim occurrunt.

Nec obstat, quod Israelitae talem relationem non omnes cognoverint, licet Isai. LIII. 5—12 idipsum sat clare indicetur; etiam infantes nostri dum baptizantur, gratias et remissionem peccati originalis accipiunt, quin

hoc cognoscant. Conferatur cum Archaelogia Ackermann. §. 371. pag. 425 et 426.

Cum praeterea sensus mediatus nullibi ad sola indicia Bibliorum restringatur, merito dicimus:

5. Si tanta est similitudo inter unum et alterum eventum, ut ratio figurae et figurati quasi sua sponte in oculos incurrat; non abhorret ab analogia et oeconomia revelationis, ut rem et eventum N. F. praefiguratum existimemus re et eventu A. F., licet in sacris litteris speciale hujus indicium non inveniatur.

Sacrificium Abrahae filium suum ex mandato divino offerentis in omnibus adjunctis spectatum fere seipsum declarat tanquam umbram Filii Dei, qui se obtulit ut sacrificium expiatorium pro genere humano. Id ipsum fere dici potest de liberatore populi electi Cyro et Redemtore divino Isai. XLV. et alibi. Apparatus templi, qui in Bibliis A. F. non declaratur, a Jahnio Arch. part. 3. pag. 241 non inepte ita explicatur: Atrium cum altari sacrificiorum cruentorum indicavit cultum mosaicum. Sanctum cum panibus, lampade etc. praefiguravit Ecclasiam christianam, ubi non amplius sacrificia cruenta, sed panis, vinum et thus offertur. Lampas in specie, quae lumine suo Sanctum illuminavit, nobiliorem cognitionem N. T. expressit. Inde moriente Domino velum scissum est, quod atrium a Sancto separabat. Demum Sanctum sanctorum fuit figura Ecclesiae alterius vitae.

§. 133.

Continuatur.

Non tantum per vera facta et instituta etc. sensus aliquis indicari solebat, sed etiam per narrationes parabolicas et fictiones et expressiones improprias, in quibus

aliud ut figura nominatur, et aliud ut figuratum indicatur. Inde statuimus:

6. Si narratio quaedam in Bibliis inveniretur, quae critice examinata historice sumi non posset, per modum parabolae seu repraesentationis parabolicae intelligenda, ac sensus actionibus narratis expressus inquirendus esset.

Si matrimonium, quod legimus Oseas I., non verum, sed tantum parabolicum fuit, quod probat Kistemaker Cant. Cant. pag. 45 et 46; ut exemplum adduci potest: Prophetae mandat Deus sumere conjugem, quae laborabat mala fama lasciviae. Hoc repraesentavit relationem inter Jehovam et nationem electam, quae tanquam conjux ejus saepe adulteria commisit, i. e. alios deos adoravit. Filio primo ex hac conjunctione parabolica nato Deus ipse nomen Iisreel dari jussit, quod significat: Deus dissipabit, aut: Deus violenter adorietur, cum allusione ad regnum Israel.

Filia, quae deinceps ex eodem matrimonio parabolico et symbolico prodiisse ponitur, e mandato divino obtinuit nomen Loruchama, i. e. non invenit misericordiam; symbolum regni Israelis, quod misericordiam non amplius sperare posset: contra regno Judae spes adhuc supererat. Tertio infanti iterum filio disponente sic Jehova tribuitur nomen Loammi, i. e. non meus populus, quo innuit, Israelem redactum iri ad talem statum, ut non amplius populus a Deo protectus videatur.

7. Si scriptum quoddam canonicum in sensu litterali nil Deo dignum praeberet, aut etiam cum aliis revelationis doctrinis pugnaret; non est dubitandum, sensum mediatum in Bibliis frequentem aut mysticum subesse, cum alias in canonem non fuisset receptum.

Hoc argumentum praeter auctoritatem antiquorum pro sensu mystico Cant. Cant. jam aderat, antequam cel. Prof.

Kistemaker hunc ex hierographia Orientalium tam egregie illustraverat.

8. Cum lex mosaica paedagogus rudis pueri Israel fuit, cui per umbras tantum velo nondum scisso videre datum erat; promissiones V. T. mere temporaliter sonantes non inepte saltem ex mente divina de praemiis altioris ordinis explicabuntur, cum praesertim sacris litteris A. F. familiare sit alterum nominare et alterum indicare, aut loqui per imagines, quae in sensus cadunt.

Is. LVI. 3—7: „Et non dicat filius advenae, qui adhaeret Domino, dicens: Separatione dividet me Dominus a populo suo; et non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum. Quia haec dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbatha mea, et elegerint, quae ego volui, et tenuerint foedus meum, dabo eis in domo mea et in muris meis locum, et nomen melius a filiis et filiabus; nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit" etc. Quis haec litteraliter intelliget? Conferantur, quae diximus de imaginibus §. 77. Ex dictis satis patet, quantopere ratio significandi per facta et symbola, et loquendi per imagines oeconomiae revelationis et Bibliis conveniat, et quam male faciant repudiantes sensum mediatum, symbolicum, mysticum. Denique

9. declarationis et illustrationis causa licebit more Patrum Ecclesiae res et eventus Scripturae allegorice interpretari, licet constet, in dato loco sensum mediatum nec ab auctore sacro, nec a Deo spectatum esse. Cum enim in hoc casu res et narrationes biblicae nonnisi ut similitudines ac media adhibeantur ad fidei et morum dogmata declaranda, illustranda et inculcanda; sobrius hujusmodi usus a consilio Scripturae minime abhorret. E. g. Lazarus ad vitam revocatus tractatur ut imago peccatoris conversi.

Quodsi apostoli hinc inde simili modo loquuti videntur, non licet inferre, sensum mediatum in oeconomia reve-

lationis et Bibliis non esse fundatum, quamvis ex natura sua tam parum mathematice demonstrari posse fatemur, ac in cursu rerum specimina divinae providentiae, quae certe non desunt.

Caput II.

DE CONSILIIS INQUIRENDIS.

§. 134.

Ordo tractatus.

Cum nosse consilium orationis ad eam rite judicandam et interpretandam tanti momenti sit; facile patet, interpreti eo vel maxime enitendum esse, ut, quantum fieri potest, certam aut saltem probabilem illius cognitionem sibi comparet. Quare, ut ordine procedamus, declarabimus, quomodo generatim consilia cognoscantur

A. ex indiciis orationis continuae internis et externis;
B. ex locis parallelis inter se conciliatis et analogis.

A.

Indicia orationis continuae.

§. 135.

Declaratio auctoris.

Ad indicia interna de consilio seu scopo orationis ante omnia spectat declaratio auctoris; ut enim in profanis, sic etiam in sacris libris nonnunquam indicatum legimus, quem

finem auctor in scribendo sibi praefixum habuerit, qui modo ab initio, ut Luc. I. 4, modo in fine, ut I. Pet. V. 12, Joann. XX. 31, modo per decursum exprimitur, sic illud Jacob. II. 26: „Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est,“ finis principalis, licet non unicus epistolae censetur. His declarationibus plenam fidem esse habendam nemo negat.

Ut librorum integrorum, sic etiam partium consilia nonnunquam aperte expressa aut praemittuntur, aut subjunguntur, ut in quibusdam vaticiniis, parabolis, actionibus symbolicis, visionibus etc. His indiciis, siquidem genuina sunt, firmissime innitendum est, imo in visionibus regula statuitur, nullam partem ut significativam considerandam esse, quae adjuncta interpretatione caret; quod tamen non semper verum esse credimus; nam ex eo, quia principalia tantum declarantur, non licet inferre, reliqua nullam habere significationem. Apoc. I. 20 declarantur tantum stellae et candelabra per angelos et ecclesias: sed etiam reliqua, quae vidit Joannes a Vers. 13—16 sine dubio aliquam significationem habent.

§. 136.

Reflexiones ejusdem tenoris.

Instar disertae fere declarationis de consilio auctoris considerantur saepius recurrentes reflexiones ejusdem sensus, quales sunt in Matthaeo: „Hoc factum est, ut impleretur etc.“ Tales enim reflexiones declarant, sensum his expressum per decursum libri scribenti ob oculos esse versatum, ex quo infertur, omnia dicta ad illum tanquam ad scopum fuisse relata.

Haec opinio etiam ex eo confirmatur, quia exempla inveniuntur, ubi praeter reflexiones ejusdem tenoris diserta

consilii declaratio simul occurrit, quae cum illis accurate conspirat. In Joannis Evangelio plures reflexiones leguntur, quae ad eundem finem, scilicet ad stabiliendam fidem in Jesum Dei Filium tendunt, qui demum Cap. XX. 31 manifestis verbis indicatur.

In libris Regum et Chronicorum ad finem historiae cujusvis regis observatur, Israelitas, prout obedientes vel inobedientes praeceptis Jehovae se exhibuerunt, ita felices aut infelices fuisse. Ex quo infertur, consilium auctoris fuisse ex historia ostendere, populo israelitico seu hebraeo omnia evenisse ex norma Theocratiae, ubi Deus non tantum ut creator et conservator, sed etiam in specie ut rex rempublicam moderatur, poenas infligit, praemia largitur.

Sibi tamen caveat interpres, ne quaecunque in libris saepius recurrentia tanquam tales reflexiones consideret, e quibus ad consilium auctoris concludi possit. Debent esse reflexiones per librum totum dispersae et ex natura sua aptae ad consilium auctoris constituendum. Inde errant, qui Lucae in Act. apost. consilium tribuunt defendendi Paulum a criminatione, ac si esset contemtor legis, quia saepius observatur, Apostolum praedicasse primo Judaeis, et dein transiisse ad gentiles. Nam hoc est factum historicum, quod referre est historici; at non tantum a magna, sed etiam a majori parte libri abest.

§. 137.

Orationis conformatio et argumenta analysis.

Saepe nulla aperta consilii indicia sive totius libri, sive partium adsunt. In hoc jam casu necessarium est, ut ad orationis formam seu conformationem, et materiam seu

argumentum attendamus. Quod primam attinet, consilio quidem loquentis attemparari solet, ita ut ex hac etiam ad consilium loquentis concludi possit. At parum est, quod ex sola orationis conformatione ad definiendum loquentis consilium inferri potest. Tanto majoris momenti ad hunc finem est argumenti analysis, quae semper fere praecipuum medium manet ad consilium cognoscendum. Inde liber aut pars libri saepe attente legatur, in suas partes resolvatur, ipsaeque hae partes sedulo considerentur, et id, ad quod singulae partes simul spectatae tendunt, consilium seu scopus auctoris fuisse concludatur. Ita per argumenti analysin et conformationem orationis rite consideratam non raro cum certitudine consilium investigamus, e. g. epistolae secundae Joannis et Judae. Eodem modo inferimus Joann. II. 1—11 habuisse consilium narrandi verum miraculum; Lucam in Act. II. referendi donum linguarum supernaturale.

At nonnunquam argumentum tam varium aut indefinitum invenitur, ut ex ejus analysi ad unum et certum scopum concludi non possit. In hoc casu saltem criterium negativum habetur, ut qualecunque praetensum orationis consilium rejiciatur, quod cum omnibus ejusdem partibus non conspirat. Quare omne de consilio assertum ad argumenti analysin et orationis conformationem tanquam ad lapidem lydium exploretur, nec quis verum orationis consilium se tenere putet, quod cum omnibus ejus partibus non convenit. Nonnulli orationem in monte Matth. V — VIII. considerant ut sermonem initiatorium ad munus apostolicum: at si hoc esset ejus consilium, plura abesse deberent, quae adsunt; alia vero desiderarentur.

§. 138.

Relatio aliorum fide digna.

Sicut ex indiciis orationis internis saepius consilium cognoscitur; ita nonnunquam ad idem externa concurrunt. Huc spectant praesertim aliorum testimonia de consilio auctoris; ut enim nostris temporibus fieri solet, ut auctor in libro ipso non edicat, quem in finem opus suum ediderit, quod tamen familiari cuidam aperit, aut coaevis aliunde notum supponit, uti revera notum est: sic etiam simile quid in scriptis sacris fieri potuit.

Si jam quis ex eadem aut nonnihil posteriori aetate consilium auctoris referret, talis relatio non esset repudianda, attamen non sine examine per argumenti analysin accipienda; nam cum hujusmodi relationes nonnunquam e meris conjecturis oriantur, aut temporis intervallo corrumpantur; sana critica requirit, ut etiam argumenta interna consulantur, quae nisi concordant, relatio illa cujuscunque testis fide digna censeri nequit.

Quod referunt antiqui de origine ac proin consilio Evangelii Marci et Joannis, argumentis internis confirmatur: contra nonnullae inscriptiones psalmorum ex argumentis internis erroneae inveniuntur.

§. 139.

Occasio.

Ut homo certum quoddam consilium capiat, seque ad aliquid agendum determinet, plerumque externis quibusdam rationibus movetur. Eodem modo ad dicendum et scribendum induci solent auctores sermonem certis quibusdam

motivis externis, sive sint dubia, quae solvere, sive vitia et errores, quos corrigere, sive vota, quibus satisfacere, sive afflicti animi, quos erigere intendunt.

Haec jam externa, quaecunque fuerint, quae effecerunt, ut quis loquendi aut scribendi consilium caperet, occasio sermonis dicuntur. Ex natura rei liquet, orationem occasioni attemperari ita, ut ex hac rite cognita ad consilium sensumque sermonis facile concludi possit. Si perfecte cognitas haberemus relationes, quae Paulo de fidelibus corinthiacis per domesticos Chloes allatae fuerant, et ea, quae aliunde compererat, insuper quaestiones, quas ecclesia corinthiaca per litteras proposuerat; occasionem ad Epist. I. Cor. sciremus, et cum hac singularum partium consilia et sensum perfecte intelligeremus; nam illa tria huic epistolae occasionem dederunt. Cur in psalmis interpretandis saepe haereamus, inde est, quia occasiones, in quibus compositi sunt, adeoque consilia ignoramus.

§. 140.

Quae ulterius praestat occasio.

Occasio sermonis rite cognita non tantum manifestat consilium, sed etiam non raro interpretem adjuvat, ut praeter sensum generalem orationis singulorum quoque dictorum vim percipiat; nam ut tota oratio, ita partes etiam occasioni respondere ac inde lucem capere debent.

Quare ex occasione nonnunquam dijudicatur, quaenam significatio e pluribus in dato loco seligenda sit, scilicet, quae respondet occasioni.

Alias ex occasione innotescit, quinam sint dictorum termini; nam loquentem ultra occasionem egredi voluisse tam parum supponendum est, quam parum credimus, lo-

quentem consilium loquendi egredi velle. Matth. XIX. 9: „Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur.“ Acatholici inde inferunt, matrimonium dissolvi adulterio. Contra Paulus I. Cor. VII. 10—11, ut Marc. X. 11—12, et Luc. XVI. 18 vinculum hoc indissolubile declarant, ut tenent Catholici.

Haec controversia dijudicari solet ex occasione; nam Pharisaei erant illi, qui Christo hanc quaestionem in scholis agitatam proposuerunt: „An licet homini dimittere uxorem suam quacunque de causa?“ Inde quaestio erat de vero sensu legis mosaicae, et Christus hoc loco quaestionem de lege mosaica allatis rationibus solvit. De lege nova non quaesiverunt Pharisaei, nec Dominus respondit. Paulus vero ad Christianos loquitur, eisque legem christianam tradit. Etiam Marc. X. 11—12 Jesus loquitur ad solos discipulos, qui eum domi de materia matrimonii interrogaverunt, quibus legem suam promulgat perfectiorem mosaica; et Luc. XVI. 18 lex severior circa matrimonium tanquam exemplum adducitur majoris perfectionis legis novae quam antiquae.

Si porro animadvertimus, aliquem proprio motu nulla occasione provocatum quaedam docuisse, nullo modo cogitandum est, docentem e mente aliorum tantum disputasse, seu argumentum ad hominem protulisse. Quare ea, quae Jesus Joann. V. 22—30 sua sponte dicit de resurrectione mortuorum et de judicandis ab ipso hominibus, non ita capienda sunt, ac si opinionibus Judaeorum tantum se accommodare voluisset.

Denique prout dictum aliquod occasioni, adeoque consilio principali respondet, vel tantum ex incidenti aut minus principali prolatum apparet; sic etiam accurate aut minus accurate sumendum est. Irenaeus, qui lib. III. contra haeres. Cap. I. dicit, Matthaeum composuisse Evangelium Πέτρου

και Παυλου εν Ρωμη ευαγγελιζομενων και θεμελιουντων την εκκλησιαν, nec occasionem nec consilium habuit accurate determinandi tempus, quo compositum sit Evangelium, sed refutandi haereticos per Evangelia post, non ante acceptum Spiritum S. exarata, et per traditionem Ecclesiae praesertim romanae. Inde locus iste de tempore compositionis Evangelii eo minus accurate sumendus videtur, cum S. Pater juxta finem polemicum argumentis suis, scilicet Evangeliis et traditioni, vim et robur tribuere voluerit.

§. 141.

Quomodo cognoscatur occasio.

Cum loquendi consilium et occasio tam arcte inter se cohaereant, ut illud saepe nonnisi hac comperta perfecte cognosci possit; facile intelligitur, quantum interpretis intersit, ut teneat modos ad occasiones librorum ac partium investigandas.

Maxime naturalis et facilis esset, si libri auctor propriis verbis diceret, quid libro et partibus libri occasionem dederit, ut saepius fit in Evangeliis. Hae relationes plenam fidem merentur, ubi accurate occasiones exprimunt. At ipsi Evangelistae non semper eas distinguunt, ita ut periculum sit errandi, si ea, quae post certam occasionem narrantur, omnia ad eandem referantur. Matth. XIX. 1—9 solvitur quaestio Pharisaeorum. Quae vero Vers. 10 dicit Dominus, ut colligitur ex Marc. X. 10, ad colloquium domesticum cum discipulis spectare videntur. Inde rei natura modestiam interpreti commendat, ne occasionem praecedentem nimium urgeat.

In psalmis et prophetiis nonnunquam, ut diximus, occasiones praefixae leguntur, quae posteriori tempore adjectae

aut a librariis perturbatae sunt. Harum fides tamdiu suspecta censetur, donec de earum genuinitate constet.

Caeterum media ad investiganda librorum consilia superius allata pleraque etiam ad inveniendam occasionem inserviunt, cum cognitio consilii etiam occasionem manifestet. Qua de causa relationes de occasionibus non minus quam de consiliis per argumenti analysin examinandae sunt.

Ubi nullum indicium apertum nec internum nec externum de occasione adest; comparentur dicta cum adjunctis aliunde notis temporis et loci, cum eventibus, institutis et placitis certae aetatis aut viri, cum consuetudinibus etc., et id, cui tota oratio in omnibus suis partibus et dotibus spectata convenit, orationis occasio fuisse statuatur. Tali modo cel. Kistemaker occasionem Cantici Cant., ut opinor, recte statuit, cum Salomo, ut narratur III. Reg. VIII. et IX., solenniter templum ab ipso conditum dedicaret. Eo tempore foedus quasi nuptiale Dei cum natione electa hoc carmine celebrasse videtur. Si certitudo, ut saepe fit, obtineri non potest, verisimilitudine contenti simus oportet.

B.

Quomodo consilia invenienda sint ex locis parallelis inter se conciliatis et analogis.

§. 142.

De locis inter se comparatis in genere.

Teste experientia omnia ea, de quibus hucusque diximus, saepe non sufficiunt ad omnem difficultatem et obscuritatem circa loquentis consilium ac sensum removendam. Inde non immerito diversi loci vel ejusdem vel

diversorum auctorum, ejusdem vel etiam diversae aetatis inter se comparantur, in quibus aut similes expressiones occurrunt, aut eadem materia tangitur, vel saltem principia et doctrinae religionis uberius exponuntur.

Ejusmodi jam loci Bibliorum, qui vel similes expressiones habent, vel de eadem re agunt, dicuntur loci **paralleli**, quos proin interpres inter se comparare, et pugnas apparentes, quae in hoc negotio se offerunt, solvere debet.

Loci illi, qui principia et doctrinas religionis ita exhibent, ut lumen etiam ad locos non parallelos spargant, sive in Bibliis, sive in libris religiosis orthodoxorum virorum subsequentis aetatis occurrant, dicuntur loci **analogi**.

Ex natura rei in oculos incurrit, cum e locis parallelis inter se collatis et conciliatis, tum e locis analogis rite perpensis interpreti biblico multum lucis circa consilium et sensum loquentis accedere debere. Quare agendum nobis est

I. de locis parallelis;
II. de compositione enantiophanorum;
III. de locis analogis, seu de analogia fidei.

I.

De locis parallelis.

§. 143.

Parallelismus est multiplex.

Loci paralleli, ut audivimus, sunt aut ejusdem auctoris, aut diversorum. Si sunt ejusdem auctoris, eo certius comparati se mutuo illustrabunt, quo minus supponendum

tes, eundem auctorem sibimet ipsi contradicere. At etiam loci paralleli diversorum auctorum se mutuo illustrare possunt, tum quoad usum loquendi, tum quoad notitias historicas.

Usus enim loquendi in eadem lingua in diversis quoque auctoribus aequalis est, si paucas forte varietates excipiamus, quas sive disciplinae sive characteris, sive loci etc. differentia producit. Eodem modo eaedem notitiae historicae pluribus notae esse possunt; et si easdem narrant, tam diu eis innotuisse, nec sibi eos contradicere credendum est, donec contrarium evidenter in oculos incurrat.

Contra in principiis placitisque generatim loquendo magna solet esse diversorum hominum diversitas. Si tamen eadem disciplina usi, eisdemque principiis forte ab eodem magistro imbuti sunt; in doctrinis quoque et principiis se mutuo illustrare possunt. Plato et Xenophon in tradendis Socratis placitis se mutuo declarant, quia uterque erat discipulus ejusdem magistri.

Haec generalia si applicamus ad Biblia, patet libros A. F. ab auctoribus eodem religionis spiritu imbutis originem habere, eademque nonnunquam facta historica referre. Auctores quoque N. F. easdem res gestas plerumque ac doctrinas ab eodem divino magistro acceptas tradunt. Ex quo liquet, locos parallelos Bibliorum se mutuo illustrare debere, licet a divino auxilio, quo adjuti fuerunt auctores, praescindamus.

Porro distinguitur duplex aut triplex parallelismus, **v e r b a l i s** et **r e a l i s**, (quibus a nonnullis additur parallelismus membrorum), prout loci se mutuo illustrant et declarant quoad verba, aut quoad res. Jacob II. 17: *ἡ πισις καϑ' ἑαυτην νεκρα*, juxta Vulg. Fides in semet ipsa mortua est. At si expressio *καϑ' ἑαυτην* comparatur cum Act. XXVIII. 16: Paulo permissum est *μενειν καϑ' ἑαυτον*

(manere sibi soli), prior locus reddendus est: fides per se solo mortua est. Realis parallelismi exemplum est Matth. XXIV. 5 et Luc. XXI. 20—24, ubi de eadem oppugnatione urbis Jerusalem sermo est.

Parallelismus realis est aut historicus, aut didacticus, prout in diversis locis eaedem res gestae narrantur, ut in Evangeliis et libris Regum et Chronicorum; aut eaedem doctrinae traduntur, ut Gal. V. 6 et VI. 15, item I. Cor. VII. 19, Joann. III. 1—5, et Rom. VII. 14 et seq. de corrupta hominis natura per gratiam restauranda.

Parallelismus membrorum definitur series continuata aliquot commatum conjunctorum eandem rem variis ex partibus ita spectantium, ut verba verbis, res rebus respondeant. Luc. XI. 27: „Beatus venter, qui te portavit, et beata ubera, quae suxisti.“ Sensus non est nisi: O beata mater tanti filii! Simile exemplum habetur Luc. I. 52: „Deposuit potentes de sede“ etc.

Quivis facile sentit, hunc membrorum parallelismum non esse meram tautologiam, sed unam eandemque rem e variis partibus spectari, ut dicta majorem claritatem majoremque vim obtineant. Ejus tamen cognitionem tam facilem puto, ut singularibus regulis indigere non videatur.

§. 144.

Quae praestet parallelismus.

Cum parallelismus verbalis et realis ita saepe confluant, ut per illustrationem verborum etiam res illustrentur, et per illustrationem rerum ipsae plerumque expressiones declarentur: praecipua, quae praestat parallelismus verbalis et realis simul, enumerabimus.

1. Vocabula obscura, qualia sunt rariora, hebraizantia

etc., et expressiones in uno loco non sat definitae saepe illustrantur per locos parallelos, in quibus cum clarioribus synonymis permutantur, vel per adjecta aut per contextum accuratius definiuntur. Matth. I. 20. κατ' ὄναρ non indicare somnium, ut omnes homines habent, sed visionem, quales habebant prophetae in statu somni, patet e locis A. F., ubi מַרְאָה (visio) et חֲלוֹם (somnium) ut synonyma permutantur IV. Mos. XII. 6 etc. II. Reg. VIII. 18. Filii David vocantur כֹּהֲנִים (Cochanim) sacerdotes, ut videtur, quod non erant. At in loco parallelo I. Paral. XVIII. 17 permutatur illud vocabulum cum רִאשֹׁנִים (Rischonim), i. e. primi, proximi ad manum regis, quod proin etiam Cochanim in primo loco indicat. Joann. I. 9 ἐρχόμενον ad φῶς referendum et reddendum esse: „veniens in hunc mundum," pro: „venientem in hunc mundum," colligimus ex locis parallelis Joann. III. 17 et 19, IX. 39, XI. 27, XII. 46, XVI. 28, XVIII. 37; Apostolus hoc termino coelestem Domini originem innuere voluit.

2. Dubium, utrum expressio quaedam proprie, vel tropice sumenda sit, nonnunquam ex locis parallelis dijudicatur; si in his de eadem re eaedem expressiones redeunt, parallelismus est pro significatione propria; si vero expressiones et imagines diversae eandem rem repraesentant, indicium habetur pro sensu tropico.

Act. II. 4: „Et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus S. dabat eloqui illis." Expressionem variis linguis proprie esse intelligendam, confirmant omnes loci paralleli, ut Act. VIII. 14—15, X. 44—45, XIX, 6, Marc. XVI. 17, I. Cor. XIV. 22. Contra coenam cum Abrahamo, Isaaco et Jacobo pro beatitudine coelesti tropice intelligendam esse, patet ex eo, quia eadem beatitudo etiam aliis imaginibus exprimitur, praesertim in Apoc.

3. Per locos parallelos ut significatio, ita et limites sen-

tentiarum definiuntur; scilicet sententia est ita restringenda aut dilatanda, ut cum locis parallelis, si praesto sunt, conveniat. Joann. III. 17: „Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.“ Joann. V. 22: „Neque enim Pater judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio.“ Item V. 27 et Matth. XXV. 31—32. Haec facile inter se conciliantur. At hinc inde non est cujusvis fidelis, nec interpretis, conciliare diversos locos inter se, adeoque debito modo restringere aut dilatare expressiones biblicas, quod **praeviam** rei cognitionem requirit, ut Matth. XXIII. 37 et Joann. VI. 44. Fieri etiam potest, ut plures loci paralleli sint minus accurati — aut ut pro loco minus accurato non inveniatur parallelus, quibus in casibus Scriptura nos necessario in errores induceret, si illam in sensu Acatholicorum ut normam dogmatum adhiberemus.

4. Loci paralleli praebent cognitionem rerum gestarum et doctrinarum completam, quatenus scilicet in sacris litteris satis clare et definite ac sine accommodationibus continentur. Ingressus Domini in Jerusalem, qui Matth. XXI. narratur, per Joann. XII. 9 seq. illustratur, ut videamus, resuscitatione Lazari commotam fuisse turbam eorum, qui ad festum venerant, ut obviam irent Domino, et palmarum ramos spargentes acclamarent: Hosanna! Sicut vero in Evangeliis non omnia facta et dicta Jesu cognoscuntur, sic nec completa religionis doctrina in scriptis occasionalibus apostolicis quaerenda est, ipsumque judicium, utrum doctrina quaedam satis clare ac definite et sine accommodatione proponatur, non est cujusvis hominis.

Ad perfectiorem rerum cognitionem spectat et illud, quod nonnunquam ex locis parallelis obtinetur, ut successionem eventuum, qui alicubi sine ordine chronologico referuntur, aut punitus omittuntur, determinare discamus. Marc.

I. 7—8: „Venit fortior me post me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus. 8 V. Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu S." Ex Joann. I. 26—27 colligunt eruditi, inter 7 et 8 Versum Marci inserendam esse legationem Judaeorum ad Joannem Bapt.; nisi forte, quod magis verisimile videtur, praecursor Domini has veritates saepius inculcavit populo a se baptizato. Tali modo nonnunquam historici defectus unius libri tolluntur per locos parallelos alterius.

§. 145.

Quomodo inveniantur loci paralleli.

Cum loci paralleli tot commoda praebeant interpreti, eo ipsi laborandum est, ut horum sibi cognitionem comparet. In hunc finem serviunt

a. Concordantiae biblicae, et quidem

1. Hebraicae, quales prodierunt opera Buxtorfii Basileae 1632.

2. Graecae N. T. ab Erasmo Schmidio editae Vitenbergae 1638.

3. Latinae, quae prodierunt Bambergae juxta editionem Vulgatum 1751.

b. Lexica rerum biblicarum, quale prostat ab Hezelio, et aliud a pluribus congestum. Porro libri, qui dogmata fidei et morum per Biblia confirmata continent.

c. Cum significatio verborum et phrasium etiam ab adjunctis et materia substrata dependeat, quae in lexicis et concordantiis non observantur, propria lectio, quae dicitur cursoria, ad eundem finem multum conferet. Est autem lectionis cursoriae ea natura, ut lector non quavis difficultate expedienda detineatur, sed ut difficultates primo dete-

gere, et dein per lectionem continuatam et repetitam solvere conetur, quo labore et locos parallelos inveniet et argumenta librorum familiaria sibi reddet.

§. 146.

Regulae et cautelae pro locis parallelis.

1. Loci paralleli ejusdem auctoris praeferri merentur locis parallelis diversorum auctorum; attamen etiam loci diversorum auctorum probandi vim habent, dummodo revera loci paralleli sint, et auctores non nimium distent tempore, quia successu temporis vocabulorum significatio nonnunquam mutationes quasdam subit, ut alibi diximus; inde non licet ex significatione vocabuli in N. F. concludere ad eandem in A. F., quia quaedam in sensu sublimiori sumuntur in N. T., nec diversus loquendi usus confundendus est.

Consilium S. Paulo ad Rom. non fuisse statuendi dogma, solam fidem sine bonis operibus sufficere ad salutem, demonstrari quidem posset ex epist. Jacobi, qui aperte contrarium docet; melius tamen ostenditur ex ipso Paulo, de cujus doctrina quaestio est, e. g. Gal. V. 6 et VI. 15, I. Cor. VII. 19. Genes. XLIX. 10 schebet sceptrum et מְחֹקֵק significare ducem, legislatorem, gubernatorem, deducitur etiam ex Isai. XXXIII. 22 et confirmatur Ezech. XXI. 27: „Donec veniat, cujus est judicium,“ i. e. regnum.

2. Caveat interpres, ne locos parallelos putet, qui nonnisi similes sunt, i. e. tales, qui quidem in quibusdam adjunctis conveniunt, in aliis vero specifice differunt. Apparitiones, quae caeteris mulieribus contigerunt Matth. XXVIII. 9, non confundendae sunt cum ea, quae Mariae Magdalenae Joann. XX. 15—16 contigit; nam non modo diversitas personarum, sed etiam temporis et loci adest.

Eodem modo distinguenda est unctio mulieris, quae erat in civitate peccatrix Luc. VII. 37, ab unctione Mariae sororis Lazari, quae Joann. XII. 1—8 refertur. Foemina illa longe alia fuit, quam Maria soror Lazari. Prima vice Jesus coenae intererat apud Simonem Pharisaeum: secunda autem apud Simonem leprosum. Miratur Pharisaeus, quod Jesus mulierem non cognoscat. Tale quid locum habere non potuit in Maria sorore Lazari, qui ad vitam revocatus in secunda coena, non in prima unacum Jesu discumbit. Coena, in qua Maria grati animi sensu commota Christo Domino officium in illis regionibus usitatum exhibuit, habita est Bethaniae prope Jerusalem sexto die ante mortem Domini. Altera vero locum habuisse videtur in urbe Naim paulo post secundum pascha, quod celebrasse legitur Jesus altero ferme anno ante suum obitum, ut putat Calmetus. Item unctio Marc. VI. 13 alterius naturae erat, quam illa, de qua loquitur Jacob. V. 14.

3. Obscurior locus explicetur e clariori, non vicissim. Haec regula adeo manifesta omitti potuisset, nisi saepius locus hermeneutice clarior pro obscuriori haberetur. Teste enim experientia tanta est praejudiciorum efficacia, ut locus, qui sensum minus placentem praebet, pro obscuro habeatur, et ex alio illustretur vel potius evertatur, qui sensum minus displicentem praebere videtur. Exempla hujus generis passim in novatoribus inveniuntur, qui ingenii vires eo intendunt, ut artificiis criticis et exegeticis religionem positivam destruant.

4. Interpres separet locos, ubi loquentes accommodatione quadam utuntur, ab iis, ubi sine omni accommodatione religionis doctrinam tradunt, quamvis de eodem objecto agatur. Idem valet de locis, ubi auctores sacri accurate loquuntur, ac iis, ubi minus accurate se exprimunt.

Contra hanc regulam peccaret, siquis oratione Petri Act.

II. 14—37, aut Pauli Act. XVII. 31 tanquam locis parallelis ea infringere vellet, quae Joannes ab initio Evangelii sui de natura divina Verbi aeterni, quod in Christo naturam humanam assumsit, eloquitur. Ad satisfaciendum huic regulae ubique cum certitudine sine dubio praevia veri cognitio requiritur.

5. Non subordinentur ex praedilectione pro doctrina aliqua quidam loci aliis, ac si nullus sensus illis inesse posset, quam qui his pro basi positis convenit. Sociniani locos, qui agunt de divinitate Domini, subordinant iis, qui ad ejus humanitatem referendi, aut cum accommodatione quadam conjuncti sunt. Iidem locos, qui agunt de via consequendi salutem, subordinant loco Joann. XVII. 3: „Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum.“ Inde locus, qui de gratia divina ad salutem necessaria, de satisfactione vicaria Christi etc. loquuntur, vi torquent ad locos, qui obedientiam mandatis divinis praestitam tanquam viam consequendi salutem declarant.

6. Non plus ex locis parallelis inferatur, quam quod ex iisdem legitime consequitur. Contra hanc regulam peccant, qui certitudinem inferunt, ut saepe fit, ubi res nonnisi dubia, aut verisimilis declarari deberet; vel si ex omnibus locis, qui paralleli videntur, statim ad absolutam et completam religionis doctrinam concludunt.

Si Scriptura omnia fidei et morum dogmata satis clare et definite sine accommodatione contineret: conclusio ex omnibus locis parallelis ad absolutam et completam religionis doctrinam objective quidem esset possibilis: at subjective neque in hoc casu valeret; non enim quivis ad librum sat clare scriptum intelligendum aptus est; proin actum esset de unitate fidei, si quivis sibi suo ingenio systema dogmatum efformare vellet; in corollariis interpre-

tationis tam parum convenirent, quam parum philosophi in placitis suis consentiunt, qui librum rationis Dei digitis scriptum interpretantur, nisi catechismum juventutis aut praevias suas opiniones in Bibliis quaererent, et hoc ipso etiam invenirent. Qua de causa etiam in hoc casu interpretatio authentica dogmatum iis competeret, qui ex institutione divina munere pascendi gregem Domini funguntur.

Verum, ut ex paragraphis de consilio generali Bibliorum N. F. (de his enim hic praesertim loquimur) constat, qui ita de his sentiunt, toto coelo a veritate aberrant. Quare sine respectu ad magisterium a Christo Domino constitutum ex omnibus locis, qui paralleli habentur, in rebus fidei et charitatis seu morum plus inferri legitime vix poterit, quam quod ex locis Scripturae, qui de hac vel illa materia agunt, hoc vel illud fluere videatur. — Ipsa definitio dogmatum ad magisterium Ecclesiae spectat, quod eo majori jure ad traditionem respicit, cum apostoli oretenus completam religionis doctrinam successoribus suis ut depositum tradiderunt.

Ut vero loci paralleli interpreti saepe lucem praebent, sic non raro difficultates creant, de quibus nunc agendum est.

II.

De compositione enantiophanorum.

§. 147.

Quae sit pugna vera, quae apparens.

In comparatione locorum parallelorum fit non raro, ut unus locus cum altero pugnet aut pugnare videatur. In primo casu, ubi scilicet invenitur affirmatio et negatio ejus-

dem praedicati de eodem subjecto, eodem tempore et in eodem respectu, pugna **vera** locum tenet. Si vero duo loci ob defectum oppositionis verae inter se conciliari possunt, pugna est et dicitur **apparens** seu *εναντιοφανον*.

Quaeritur, utrum in sacris litteris pugnae verae occurrant. Ipsos auctores sacros contrarias sibi et oppositas religionis doctrinas tenuisse, aut de rebus, quas referunt, non fuisse rite instructos, non est cogitandum, licet ab omni assistentia divina praescindamus. At Biblia injuria temporum et culpa librariorum et lectorum etc. plura passa esse, ut verae pugnae inveniantur, non est negandum; imo concedi potest, ob stilum minus accuratum, aut accommodationes, quibus Dominus et apostoli sapienter usi sunt, expressiones nonnunquam esse tales, ut litteraliter intellectae sibi contradicant. Multo plures occurrunt pugnae apparentes seu *εναντιοφανα*.

Nec hoc repugnat revelationi divinae, aut inspirationi actorum; nam ad scopum, ad quem libelli sacri scripti sunt, omnino apti fuerunt in illis adjunctis, in quibus compositi et lectoribus suis traditi sunt. Etiam nobis apti esse pergunt ad fines, ad quos illis indigemus.

Ut vero ad finem idonei sint, de quo auctores sacri non cogitarunt, ad finem, qui nec cum conditione hominum, nec cum consilio divino convenit, non requirit inspiratio, et quidem eo minus, quo apertius nota opinio, ac si Biblia essent fons et norma dogmatum, modo inevitabili hunc effectum habet, ut haeresibus, quas certe noluit procreare Spiritus sanctus, janua aperiatur, et dispositio invertatur, quam Christus per se et apostolos fecit, qui perpetuum magisterium suo Spiritu dirigendum in Ecclesia constituit.

Hoc quidem ipsum magisterium semper adhibuit scripta

haec, utpote monumenta historica de divina religionis origine, de fundatione Ecclesiae aliisque doctrinis: at non ita, ut traditionem seu **depositum** religionis ab apostolis acceptum negligeret, aut dogmata sua ad vagas et minus accuratas expressiones aut accommodationes immutaret, aut nihil aliud ad religionem spectans agnosceret, quam quod in his libris occasionalibus continetur; sed praesertim ad fines illos, de quibus diximus §. 125. Ecclesia his scriptis utitur.

Quare haec Bibliorum constitutio inde tantum quibusdam imperfecta videtur, quia his tribuunt finem, ad quem ex dispositione divina destinata non sunt; confert potius ad agnoscendam Jesu Chr. sapientiam, qui non libros hos cultoribus suis tradidit, ex quibus sibi dogmata definirent, sed vivum et perpetuum magisterium communi capite unitum constituit, a quo authenticam religionis doctrinam repetere possent, et sine quo unitas fidei et Ecclesia consistere non posset, quomodocunque Biblia essent comparata.

Quod jam attinet menda, quae irrepserunt, et e quibus pugnae verae originem trahunt, Criticae est illa emendare, in quantum fieri potest. Observantur frequentiora in numeris, qui litteris scribi solebant. I. Reg. V. 6 Salomo narratur 40,000 praesepiorum pro equis habuisse: contra II. Paral. IX. 15 ipsi tribuuntur 4000, quae pugna sine dubio ex permutatione litterae numericae originem sumsit. Nobis hoc loco videndum est, quomodo oriantur et tollantur enantiophana, et quidem in locis

a. dogmaticis;

b. historicis;

c. propheticis.

a.

De enantiophanis in dogmaticis.

§. 148.

Unde oriantur et quomodo tollantur.

1. Pugnae apparentes in dogmaticis saepe oriuntur ex more loquendi minus accurato, ad rigorem logicum et ἀκρίβειαν scholae non composito, qualis frequenter occurrit in Bibliis.

Inde statuuntur variae regulae:

Locus, in quo obiter tantum dogma attingitur, explicetur ex eo, si adest, qui in hoc argumento singularem probandi vim habet; e. g. Act. II. 38: „Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Chr.“ explanetur ex Matth. XXVIII. 19.

Locus obscurior, ubi dicendi genus minus accuratum ambiguam interpretationem admittit, conformetur ad clariorem locum, si praesto est, qui omnem ambiguitatem excludit. I. Tim. II. 14: „Adam non est seductus, mulier autem seducta in praevaricatione fuit.“ Locus iste illustretur ex Genes. III. 6.

Quae in diversis locis de eodem argumento sine limitationibus et determinationibus modo vulgari dicuntur, ea reducantur ad integrum dogma, aut referantur ad certa principia.

Saepius dicuntur homines in Bibliis peccatorum veniam consequi per professionem religionis, alias per mortem Jesu Chr.; in aliis locis peccatorum remissio adscribitur fidei in Christum, aut dilectioni Dei etc. Hic dissensus tollitur, si integrum dogma statuitur, quatenus forte in Bibliis exprimitur, quod circiter erit: Homo convertitur a Deo per

doctrinam, dum adjutus gratia divina, cujus fons est mors expiatoria Jesu Christi, eidem gratiae cooperatur, ita ut divinam voluntatem ex amore impleat.

Ad haec observo: Allatae regulae certe aliquam utilitatem praestant: at longe abest, ut semper certitudinem aut unitatem interpretationis praebeant; nam judicium, utrum expressio sit accurata, aut non accurata, magis aut minus accurata, clarior aut obscurior etc., a praevia interpretis ratione cogitandi dependet. Inde varium saepe est hoc judicium, ut cogitandi ratio praevia interpretum. Porro assertum, omnem locum minus accuratum corrigi alio accuratiori, et perfectam doctrinae cognitionem inveniri in Bibliis, caret omni fundamento et est contrarium iis, quae diximus de consilio generali Bibliorum N. F.

Inde reductio diversorum dictorum, quae in Bibliis de re quadam occurrunt, ad integrum dogma aut principium, semper errandi periculo obnoxium manet, et, ut testatur experientia, a praeconceptis opinionibus interpretum dirigitur. Ex his cognoscimus, quid a regulis hermeneuticis exspectari possit, et quid non possit, et quam bene religionis Auctor pro asseclis suis auctoritatem sui vicariam constituerit, a qua authentica dogmatum interpretatio repeti possit, scilicet magisterium Ecclesiae, cui completa religionis doctrina tanquam depositum ab apostolis commissa, munus docendi divinitus impositum, et assistentia Spiritus S. promissa est.

§. 149.

Continuatur.

2. Pugnae species oriuntur ex accommodationibus, quibus Jesus et apostoli in quibusdam locis usi sunt, non item in aliis. Concilium hierosolymit. Act. XV. 29 pro-

hibet manducare idolothyta. At Paulus I. Cor. VIII. 4—13 et X. 25—30 ita loquitur, ac si res esset nullius momenti, dummodo fratrem non scandalizemus. Unde hoc? quia conc. accommodatione negative dogmatica usum rem prohibuit, non ac si esset absolute illicita, sed ne Ethnico-christiani Judaeo—christianis scandalum praeberent. Inde Ecclesia a statutis concilii, excepto, quod fornicationem attinet, discessit. (Illud Apoc. II. 20 videtur sumi pro communione cum idololatria aut e mente concilii.)

Jesus saepe loquitur de se modo humano, adeoque per accommodationem, quia auditores nondum praeparati erant ad percipienda accuratiora, ut Joann. VII. 17 aut XI. 34: „Ubi posuistis eum?" Talia ergo nihil probant contra divinitatem Jesu Chr. I. Joann. II. 18: „Filioli, novissima hora est, et sicut audistis, quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt, unde scimus, quia novissima hora est." Ex hoc et illo Pauli I. Thessal. IV. 15—17 non vellem cum quibusdam inferre, ac si apostoli finem mundi vicinum existimassent; nam si respicimus ad Apocalypsin quocunque modo intellectam, apparet, longe aliam opinionem Joannis fuisse. Forte illis verbis non voluit nisi parvulos in Christo ad vigilantiam excitare, dum innuit, tam periculosum nunc jam esse tempus, quale in fine mundi adveniente Antichristo futurum esse audivissent. Apostolos revera triplici accommodatione usos esse, constat ex antecedentibus, a quibus locis ad absolutam religionis doctrinam concludi non potest.

Quaeritur, utrum accomodationes semper ita apertae sint, ut ex his libris solis sciamus, ubinam tales occurrant, et ubi absoluta doctrina proponatur. Hoc tam parum dici potest, ac illud, quamcunque dictionem minus accuratam ex iisdem intelligi posse ut talem; nam unum et alterum supponit in legente perfectam religionis doctrinam.

At id non obest religioni, dummodo Biblia ex suo fine spectentur, et constitutio divina magisterii ecclesiastici ob oculos habeatur. Ab hoc edocti non abstinemus a sanguine, licet hoc Act. XV. 29 postuletur; recte baptizamus infantes, licet Marc. XVI. 16 contrarium innui videatur; recte veneramur την Θεοτοκον ut semper virginem, licet Evangelia hoc non doceant etc.

3. Enantiophana oriuntur nonnunquam e diversa linguarum indole; nam orientalium linguarum genius ab indole occidentalium admodum abhorret. Ad haec enantiophana tollenda fiat versio respiciendo ad linguarum et rerum indolem. Luc. XIV. 26, qui Christum sequuntur, jubentur odio habere (μισειν) parentes, qui tamen alibi a liberis amandi declarantur. Lucem capimus ex Matth. X. 37, ubi eadem ita traduntur: Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus." Ex quo liquet, verbum μισειν ex ingenio linguae hebraicae sumendum esse pro minus amare, ut in illo Rom. IX. 13: „Jacob dilexi, Esau autem odio habui."

4. Quaedam pugnae species oriuntur e diverso scribentium consilio. Ad has tollendas fiat interpretatio accommodate ad auctoris consilium.

In epistolis Paulinis saepius disputatur contra eos, qui observantiam legalium urgebant. At hoc modo leniter, modo durius fit. Haec differentia explicatur ex diversis erroribus, contra quos loquendi consilium habuit Apostolus. Alii legalia mosaica defendebant ex imbecillitate animi, quia sibi persuadere vix poterant, haec penitus esse negligenda; hos leniter tractat Rom. XIV. Alii hanc observantiam ita defendisse videntur, ac si fides in Christum sola non tantam gloriam afferret in altera vita, quantam simul cum observantia legalium, quod negabat Paulus; hos severius perstringit in epist. ad Gal.

§. 150.

Continuatur.

5. Hinc inde pugnae species enascitur ex diversa significatione ejusdem vocabuli. Genes. XXII. Deus tentat Abrahamum; Exod. XV. 25, Deut. XIII. 3 Deus tentat Israelitas. At Jacob. I. 13 scribit: „Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est; ipse autem neminem tentat." In primo casu tentare significat, periculum facere, experiri: apud Jacobum vero irritare ad malum: inde nulla contradictio. Quare in simili casu distinguatur verbi significatio, et pugnae species evanescet.

6. Enantiophana oriuntur ex diversa aetate scribentium, diverso gradu cognitionis communicatae, diversaque mandatorum natura.

Licet auctores sacri in summa religionis consentiant, tamen pro diversa aetate, qua scripserunt, doctrinas perfectiores aut minus perfectas tradunt. Constat ex antecedentibus, revelationem A. F. fuisse tantum relativam, i. e. accommodatam infirmo captui rudis pueri Israel, et destinatam ad tempus. Inde in Bibliis A. F. invenitur spiritus severitatis, quali in erudiendis pueris saepe opus est. Adest gradus cognitionis minus perfectae de natura divina, de officiis, de praemiis virtutis etc., quorum cognitio per umbras tantum et per imagines sensuales ipsis data fuit. Aliter se res habet in Bibliis N. F., ubi spiritus filiorum Dei, lex amoris filialis, perfectior cognitio de natura divina, perfectiora officia etc. occurrunt. Ad hujus generis enantiophana tollenda servit regula theologorum: Distingue tempora, et concordabit Scriptura.

Non minus cavendum est, ne in lege mosaica leges

politicas, ut de jure ultionis et talionis, cum legibus moralibus confundamus.

7. Denique pugnae apparentes oriuntur ex ipsa re, dum scilicet res, de qua sermo est, in diversis locis non est eadem, sed diversa. In hoc casu res est explicanda et distinguenda. Ezech. XVIII. 20 dicitur, filium non luere peccata patris. Sed Deut. V. 9 legimus: „Ego sum Dominus Deus tuus .... reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam et quartam generationem.“ Ut tollamus contradictionem, observandum est, apud Ezech. agi de justitia inter homines, quae in stricto sensu remunerans dicitur; hinc recte docetur: „Anima, quae peccaverit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii.“

Contra Deut. V. 9 sermo est de eo, quod Deus auctor et conservator sit illius rerum cursus, juxta quem ex peccatis parentum malae sequelae redundant in filios, e. g. ex prodigalitate, ex vitiis carnis. Potest etiam intelligi de negatione benedictionis Dei, absoluti rerum Domini, erga filios, si parentes injusti et impii fuerint. Quare distinguendum est inter justitiam et justitiam, inter punire et punire.

b.

De enantiophanis in historicis.

§. 151.

Enantiophana ex diverso narrandi modo et consilio.

A dogmaticis repugnantiis transimus ad historicas, et quidem primo ad eas, quae e diverso narrandi modo et consilio oriuntur. Ad modum narrandi referimus varia adjuncta, variasque determinationes, quae in variis narranti-

bus de eodem facta occurrunt. Constat enim historicos profanos in adjunctis, attributis etc. saepe variare; unus narrat, quae alter omittit; quae unus fusius, alter breviter.

Si hoc in classicis historicis invenitur, non minus ab auctoribus sacris exspectandum est, qui forte nonnisi fragmenta de factis et dictis Domini stilo vulgari scripta nonnunquam collegerunt. Proptereà tamen non adsunt verae contradictiones; quasdem vero narrationes esse minus accuratas fatemur.

Matth. XXVI. 8: „Videntes autem discipuli (unctionem per Mariam sororem Lazari) indignati sunt dicentes: Ut quid perditio haec?“ At Joann. XII. 4 melius determinat: „Dixit ergo unus ex discipulis ejus Judas Iscariotes.“

Ut nos in vita communi nonnunquam loquimur, sic in Evangeliis species pro individuis ponitur, uti: Discipuli Jesum interrogarunt, licet unus hoc fecerit in praesentia reliquorum. In passione Domini legimus Matth. XXVII. 44 et Marc. XV. 32, maleficos maledixisse Christo. Contra Luc. XXIII. 39—42 narrat, unum tantum hoc fecisse. Ex hoc tamen non sequitur vera contradictio, sed illud tantum, Lucam accuratius narrasse.

Matth. V. 1 narrat, orationem ibi positam habitam esse in monte. Luc. VI. 17 videtur innuere, similem orationem aut eandem habitam esse in planitie. — At poterat Christus in monte, et simul in planitie esse; nam montes quoque sua segmenta habent, quae plana sunt; aut non eandem, sed similem tantum orationem narrat Lucas.

Alias enantiophana prodeunt ex diversitate consilii; hoc enim variat selectum rerum et modum narrandi etc.

Matthaei consilium fuit ostendere Judaeis in libello suo, Jesum Naz. esse Messiam in lege promissum. Joannes vero contra errores pullulantes voluit traditam Ecclesiis doctrinam de divina Jesu Chr. natura in suo tractatu hi-

storico-dogmatico confirmare sua et Joannis Baptistae auctoritate, et per dicta et facta Domini. Ex hoc diverso consilio diversum rerum delectum et diversum narrandi modum nobis saepe declarimus.

Matth. VIII. 5 scribit, centurionem venisse ad Jesum: Luc. VII. 1—10 scribens pro Theophilo ethnico-christiano prolixe voluit fidem et humilitatem hujus gentilis exponere; ideo illam circumstantiam non praetermisit, eum misisse alios, quia tanquam gentilis dignus non esset, ut ad Christum veniret. Tale consilium non habuit Matth., inde tantum effectum miraculosum praestantis fidei centurionis exponit, et negligit circumstantiam, an centurio in propria persona venerit, aut preces suas per legatos Christo exposuerit; nam quod quis per alium facit, per se fecisse censetur.

§. 152.

Enantiophana ex diverso narrandi ordine et historia profana.

Ut ex narrandi modo et consilio, sic etiam ex diverso narrationis ordine enantiophana enascuntur. At diversus ordo non efficit veram contradictionem. Matth. IV. 3—11. Luc. IV. 2—12 narratur tentatio Christi, et tres tentationis modi. Ast illum de templo Lucas refert tertio loco; Matth. autem secundo. Alius defectus ordinis oritur ex prolepsibus, ubi historicus ob occasionem quaedam aspergit, quae postea evenerunt. Luc. III. 19—20 post narratum baptismum et publicam praedicationem Joannis Bapt. refert, quod arguerit Herodem propter incestum, et inde in vincula conjectus sit, quae postea acciderunt.

Generatim in ordine quatuor Evangeliorum multiplex et non levis est dissensus in narratione rerum, quas Jesus in illo triennio muneris sui publici p regisse refertur. Haec

diversitas causa fuit operosi studii, quod in contexendis harmoniis Evangeliorum insumtum fuit, siquidem nullus Evangelista praeter S. Joannem facta Domini exponit ordine perfecte chronologico. Joannes vero distinguit quatuor festa, et utitur his momentis chronologicis; et nos ea, quae inter haec quatuor festa narrat, etiam his temporibus evenisse arbitramur.

Dissensio et referendi ratio minus accurata Evangeliorum mira videri debet iis, qui opinantur, Evangelistas habuisse consilium reponendi ibidem facta et doctrinas Domini, ut Christiani sequentium seculorum inde sibi religionis dogmata definiant. At si ad consilia Evangelistarum respicimus et modum docendi apostolorum, qui religionis dogmata tanquam depositum praesulibus ecclesiarum tradiderunt, omnis difficultas evanescit.

Nonnunquam loci biblici cum historia profana non perfecte conspirant; sic Luc. III. 19, Matth. XIV. 3, Marc. VI. 17 frater Herodis Antipae a Joanne Bapt. ob incestum reprehensi dicitur Philippus. At Joseph. Fl. eundem Herodem nominat. (Arch. XIII. 5, 1—4.) Ad hoc dicitur: Primus maritus Herodiadis, ut caeteri filii Herodis M., habuit nomen Herodis; at praeter hoc forte etiam nomen Philippi, ut a fratribus distingueretur. — Fortasse adjectum est a quodam, qui explicare voluit; saltem apud Matth. et Luc. in Vulgata nostro deest, ut in multis codicibus graecis. In omni casu res est nullius momenti.

Generatim quando auctores sacri cum Josepho vel cum scriptoribus thalmudicis pugnant, sana critica illis utpote coaevis majorem fidem adjudicat. Quae Josephus de morte Joannis Bapt. (Arch. XVIII. 5, 2.) ab auctoribus sacris discrepantia narrat, non merentur fidem, quia 50 annos postea vixit, et apostoli, partim antea discipuli Joannis, causam mortis certe melius noverant.

Caeterum iterum observamus: Licet ex dictis appareat, pugnas Bibliorum apparentes modis allatis plerumque sat feliciter tolli posse; tamen simul in oculos incurrit, expressiones minus accuratas esse frequentes, et cum per locos parallelos tot expressiones hujus generis detegantur, analogia nos cogitare cogit, in illis quoque locis, pro quibus loci paralleli praesto non sunt, hujusmodi expressiones occurrere. Ex quo iterum patet, quam absurde Biblia considerentur tanquam norma fidei in eo sensu, ut fideles neglecta traditione et spreto magisterio divinitus constituto, quae in his ipsis libris praesupponuntur et commendantur, religionis dogmata inde sibi definiant, de quo auctores sacri ne cogitarunt quidem.

Siquis non intelligit, nullum librum quomodocunque scriptum sine omni alia auctoritate esse aptum medium ad conservandam unitatem fidei et Ecclesiae; saltem hoc fateatur: Si apostoli in scripto quodam religionis dogmata relinquere voluissent, certe non ita fecissent, ut continuae lites et rixae sint inevitabiles, et nulla certitudo in plerisque haberi possit. —

c.

De enantiophanis in propheticis.

§. 153.

Quomodo tollantur.

Quoad pugnas, quae in prophetiis occurrere videntur, breviter sequentia notentur:

1. Prophetae non raro minitantur, adeoque conditionate loquuntur, hoc vel illud eventurum esse, si nulla emendatio consequatur, id quod prophetae ipsi saepe aperte indicant. Jerem. XXXVIII. 14—23. Veteres Israelitae hoc optime

intellexerunt. Cum Jeremias XXVI. 18 nomine Jehovae mala minitatus in periculo esset, ne occideretur a populo: seniores eum his defenderunt: „Michaeas de Morasthi fuit propheta in diebus Ezechiae regis Judae, et ait ad omnem populum Juda dicens: Haec dicit Dominus exercituum: Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem in acervum lapidum erit; et mons domus in excelsa sylvarum. Nunquid morte condemnavit eum Ezechias rex Juda, et omnis Juda? Nunquid non timuerunt Dominum et deprecati sunt faciem Domini? et poenituit Dominum mali, quod loquutus erat adversus eos."

Inde mirari non debemus, si quaedam non evenerunt, quae prophetae sub conditione expressa vel tacita praedixerunt, cum praecipuum eorum munus non fuerit praedicere futura, sed declarare, quid ex voluntate Jehovae agendum, quidve omittendum sit.

2. Diximus in praecedentibus, nonnunquam vaticiniis nexum opticum inesse. Quare si juxta nexum historicum impleta non sunt, quaeratur ibidem nexus opticus, et repugnantiae species forte evanescet.

3. Si de eodem objecto in prophetiis contraria proferuntur, ad diversa tempora diversosque status referantur. Si Israelitis utpote populo electo alicubi tristia, alibi autem laetiora annuntiantur, de diversis temporibus intelligantur. Forte in multis recte intelligitur ὁ Ἰσραηλ του Θεου, Gal. VI. 16, populus electus, Ecclesia Christi, sive ex Israelitis, sive ex ethnicis constet juxta Luc. I. 32. Matth. XIX. 28. Quaedam vaticinia messiana spectant ad ejus statum humilitatis, alia ad statum exaltationis et gloriae. Quod attinet regnum Messiae in hac terra, quod nonnulli desiderant, utique jam existit in Ecclesia, licet non sit regnum naturae mundanae.

4. Descriptiones et imagines propheticae nequaquam

ad litteram intelligendae sunt, ut diximus §. 75.; prophetae enim in imaginibus et justo plura et justo grandiora per hyperbolas orientales congerere solent. Terrae motus, casus siderum, obscuratio solis et lunae, quae minutim describunt, nonnisi magnas rerum mutationes exprimunt. Dubito tamen, an resuscitatio mortuorum Ezech. XXXVII. 1—4 non sit aliud, quam imago reipublicae politicae et religiosae restitutae post captivitatem babylonicam, ut alii arbitrantur juxta Vers. 11, praesertim si respicio ad Vers. 22—28 ejusdem capitis. Forte loquitur Propheta de *Ισραηλ του Θεου*, et de resurrectione seu felici statu Ecclesiae, de quo dicit Apocalypsis XX. 5: *Αυτη ή ανασασις ή πρωτη*, cui succedit Gog et Magog in Apoc. sicut in Ezech. per capita XXXVIII. et XXXIX.

5. Denique quaedam vaticinia fortasse nondum impleta sunt. Huc a nonnullis referuntur novem ultima capita Ezechielis XL—XLVIII. Si praecedens conjectura fundamentum haberet, haec capita forte non continerent, nisi imaginem propheticam status et cultus divini in nova Jerusalem Apoc. III. 12; *εν τη ανω Ιερουσαλημ* Gal. IV. 26; *εν τη Ιερουσαλημ επουρανιω*, Hebr. XII. 22, cujus nomen mutandum est in Jehova schammah (Jehova ibidem) Ezech. XLVIII. 35, quibus Propheta innuere videtur, dicta valere de Jerusalem spirituali.

III.

De locis analogis, seu analogia fidei.

§. 154.

Quid sit analogia fidei.

At locis parallelis distinguimus analogos, ut supra diximus, qui doctrinas religionis tam clare exprimunt, ut loci

Bibliorum obscuri aut minus accurate expressi iisdem illustrentur, licet non eadem materia tractetur, adeoque non sint paralleli. Si porro attendimus ad ea, quae de indole et consilio librorum N. F., et de modo diximus, quo apostoli religionis doctrinam tradiderunt ac conservatam voluerunt; in oculos incurrit, traditionem ad eundem finem singulari jure adhiberi. Quare analogia fidei seu doctrinae definitur: Congruentia cum veritatibus religionis in Scriptura et traditione evidenter expositis.

§. 155.

Recte spectatur ut principium hermeneuticum.

Hanc congruentiam ut principium hermeneuticum recte haberi, naturae rei adeo consentaneum est, ut nunquam adversarios habuisset, nisi sectarum studium intercessisset. Etenim si doctrinam quandam scriptoribus biblicis aut Patribus communem esse intelligimus, ad eam revocanda et illustranda esse Scripturae dicta obscura aut minus accurata eo majori jure postulamus, quo saepius hujusmodi dicta in stilo vulgari occurrunt, et quo rarius dogmata fidei proprie definiuntur.

Si proin singulares philosophorum propositiones e systemate explicantur, vel leges ambiguae ad mentem et spiritum totius legum corporis revocantur; si porro sensa magistrorum a discipulis discimus; quanto magis tale quid locum tenet in libris ad ἀκριβειαν scholae minime compositis, qui nonnisi fragmenta doctrinae continent, et quorum auctores de systemate dogmatum scribendo non cogitarunt, nec libros suos ecclesiis ut fontem et normam dogmatum, quae oretenus tradita supponunt, tradiderunt.

Quare merito hoc principium statuimus: Juxta doctrinas

in sacris litteris aut traditione evidenter expositas ii Bibliorum loci explicandi sunt, qui his doctrinis minus convenientia aut omnino contraria exprimere videntur, e. g. Hebr. VI. 4—6, Marc. XVI, 16, Luc. VI. 30.

§. 156.

De analogia fidei in solis Bibliis.

Quod attinet analogiam fidei seu doctrinae in Scriptura, non multos habet adversarios. Constat quidem, inter auctores V. et N. F. hoc discrimen intercedere, ut isti perfectiores doctrinas tradant, quam illi; imo discrimen gradus in ipsis auctoribus A. F. juxta diversam aetatem invenitur, ac si populus electus progrediendo in aetate magis capax fuisset perfectioris cognitionis. Nihilominus quaedam doctrinarum consensio in omnibus observatur, spiritualitas divina ab omnibus agnoscitur. Inde loci, qui contrarium innuere videntur, ex illa generaliter agnita explicari debent.

Omnes tenent, Deum esse sanctissimum creatorem et conservatorem omnium. Inde illustrentur et explanentur loci, qui quasi mala moralia Deo tribuere, aut eum tanquam Deum nationalem tantum declarare videntur. Cuncti tenent, omnem hominem, servum aeque ac liberum, peregrinum non minus quam incolam amandum esse. Ad haec revocentur dicta, quae seorsim spectata odium et vindictam spirant.

Adhuc minor difficultas aut potius nulla invenitur in statuenda congruentia doctrinarum in libris N. F. In Joann. I. 14: ὁ Λογος σαρξ εγενετο, dubitari posset, utrum ὁ Λογος non fortasse corpus tantum humanum assumserit, ita ut vices animae subiret. At ubique in Bibliis N. F. Christo vera natura humana tribuitur; ergo concludimus,

locum hunc ita esse intelligendum, ut praeter corpus etiam animam humanam assumserit. Matth. V. 34: „Ego autem dico vobis, non jurare omnino.“ — Hoc dictum Domini videtur jusjurandum ut absolute illicitum rejicere. Verum rem non ita esse intelligendam colligimus ex locis, ubi neque Jesus neque apostoli coram magistratibus aut in re gravi jusjurandum detrectasse leguntur, ut Matth. XXVI. 63, Rom. IX. 1, II. Cor. I. 23. Inde illud effatum Domini non de omni jurejurando intelligimus, sed de mala consuetudine jurandi in colloquiis obviis per formulas deceptorias.

§. 157.

De analogia fidei in traditione.

Acatholici nolunt, ut ad doctrinam christianam statuendam et libros sacros interpretandos ad traditionem recurramus; nam Patres, inquiunt, doctrinam Jesu et apostolorum ingenio suo exornarunt, eamque ad sententias et placita philosophorum praecipue Platonis transformarunt.

At ab hac culpa Patres vindicavit inter alios Keilius, licet unus e Protestantibus, in propria quadam dissertatione, cui titulum fecit:

„De Patribus a culpa corruptae per philosophiam Platonis doctrinae christianae liberatis.“

In hac dissertatione concedit quidem, Patres Ecclesiae doctrinam christianam ad formam systematis philosophici Platonicorum exegisse, ac ad ejus modum tractasse; quia plerique huic systemati addicta fuerunt. At tantum abest, ut concedat, eos doctrinam christianam ad placita philosophiae platonicae immutasse, ut potius suspicionem moveat, eos placita philosophica ad sensum christianum conformasse. Quod certe ab iis magis exspectandum fuit, qui

non Platonis philosophiam, sed doctrinam Jesu Christi divinam existimarunt.

Si porro poneremus, tale quid ab uno alterove tentatum fuisse, certe ab omnibus ubique hoc esse factum minime cogitandum esset, licet divinam pro religione curam ex oculis dimitteremus. Inde homines ut coelo ac aetate, sic ingenio et aliis disciplinis distantes in religionis doctrina non convenissent, nisi ex iisdem fontibus traditionis et Scripturae hausissent ab eodem Spiritu directi.

At tota haec disputatio originem trahit ex errore fundamentali, foecundo haeresum patre, scripta N. F. nobis data esse ab apostolis tanquam fontem et normam dogmatum; penitus vero evanescit, si attendimus ad historiam et modum praedicandi apostolorum, ad consilia Bibliorum occasionalium, et ad dispositionem, quam iidem apostoli circa conservationem religionis traditae fecerunt; scilicet, ut saepius diximus, dogmata tanquam depositum successoribus suis oretenus potissimum tradiderunt cum mandato, ut illud a Spiritu S. adjuti custodirent, et non tantum fidelibus, sed suis iterum successoribus traderent, qui ab eodem Spiritu directi eodem munere functuri essent.

Cum jam apostoli non sua scripta occasionalia, minus accurate et non sine accommodationibus composita, quae nec a longe corpus doctrinae continent, pro norma dogmatum constituerunt, sed illam, quam audivimus, dispositionem fecerunt: vix aliquid evidentius esse potest, quam quid de allato asserto Acatholicorum sentiendum sit.

Quare in consensu Patrum firmissimum habetur verae doctrinae christianae criterium, et quod ab omnibus, quod ubique, quod semper creditum est, verissima doctrina Jesu Chr. habetur; et si forte expressiones biblicae contrarium innuere videntur, ex rationibus hermeneuticis in consilio,

indole et argumento Bibliorum fundatis, juxta traditionem seu continuam Ecclesiae doctrinam interpretandae sunt.

In diversis ipsi adversarii traditionis nobiscum consentiunt. Hebr. VI. 4—6 impossibilis (αδυνατον) declaratur reconciliatio ejus cum Deo, qui a fide defecit. At magisterium Ecclesiae accuratius talem reconciliationem quidem difficillimam, sed non impossibilem tenet. Tale est Marc. XVI. 16 respectu baptismi infantium. Item Luc. VI. 29—30. Si loci paralleli oppositi sunt, magisterium Ecclesiae, cui hoc ex officio divinitus imposito competit, juxta traditionem decidit, ut illud de efficacia gratiae Joann. VI. 44 et Matth. XXIII. 37. Si quis praescindendo a praevia religionis cognitione lotionem pedum Joann. XIII. legeret; omnino cogitare posset, narrari ibidem actionem ut signum visibile gratiae invisibilis institutum a Christo, quod sacramentum appellamus: at Ecclesia hunc actum nunquam ut sacramentum consideravit, et sic alia.

Ex dictis simul patet, quod traditio non tantum ad locos biblicos illustrandos et definiendos, sed etiam ad corpus doctrinae constituendum requiratur, et Scriptura non possit dici norma dogmatum, nisi quatenus historice docet fundationem magisterii in Ecclesia perpetuo duraturi, cui proin ex divina dispositine competit docere religionem Jesu Chr., adeoque authentice definire, quid sit credendum, quid faciendum.

Haec dispositio divina sola respondet et satisfacit indigentiis hominum, quod libri quomodocunque scripti praestare nequeunt; haec eadem dispositio per simplicem et cuivis Christiano evidentem sententiam exprimitur: Christus Dominus apostolos eorumque successores religionis suae doctores constituit. — Isti successores, seu praesules ecclesiarum per commune caput uniti, ut constat, magiste-

rium ecclesiasticum efficiunt, quod, ut infallibile agnoscam, mihi sufficit nosse, esse magisterium religionis divinitus constitutum.

§. 158.

Solvuntur objectiones.

Contra dicta in praecedentibus objiciunt nonnulli: Hoc est interpretari Scripturam juxta Ecclesiae dogmata.

Haec objectio pro iis tantum aliquam vim habet, qui in errore versantur de fine seu consilio Bibliorum N. F., et ignorant aut non attendunt ad dispositionem divinam, de qua saepius diximus. Juxta nos hoc est interpretari Scripturam juxta Scripturam, quae evidenter docet, dogmata religionis oretenus ecclesiis fuisse tradita, atque praesules ecclesiarum ut depositarios, custodes et doctores religionis divinitus esse constitutos, non autem libros hos tanquam fontem et normam dogmatum ab apostolis esse praescriptos.

Hoc est interpretari Biblia ita, at unitas fidei et Ecclesiae, corporis Christi, conservetur, et removeatur interpretandi ratio consilio, argumento et indoli Bibliorum repugnans, quae si generalis evaderet, et non quivis suum catechismum quaereret, omnem societatem religiosam ipsamque religionem everteret. Hoc denique est venerari illam auctoritatem, quam Christus in Ecclesia constituit, et cui suam assistentiam usque ad finem mundi promisit, Matth. XXVIII. 20.

Cl. Jahnius in suo Enchiridio Hermeneuticae generalis pag. 15 et 16 defendit studium biblicum praesertim contra Doct. Klüpfel et alios, qui traditioni nimium ipsi tribuere videntur, asserens, ipsam traditionem non in omnibus esse claram et definitam, quod probat ad exemplo ecclesiae anglicanae, quae ex traditione diversa a nobis dogmata de-

ducit. Inde opus esset, ait, nova Hermeneutica patristica, et unitas non esset speranda.

Quod attinet studium biblicum, huic non repugnamus; sed illud requirimus, ne Bibliis praesertim N. F. finis tribuatur, de quo auctores ne cogitarunt quidem; ne proin obliviscamur regulae Hermeneuticae generalis: Noli quaerere in libris, quod auctores illis committere noluerunt. Systema dogmatum ibi quaerendum est, ubi apostoli illud deposuerunt — et ab iis definiendum est, qui ad hoc munus divinitus sunt constituti. —

Caeterum quam merito in definiendis dogmatibus non tantum ad Biblia, sed potissimum ad traditionem respiciatur, jam ex indole Bibliorum satis patet, ut de reliquis nihil amplius repetamus; nam non pauca ad religionem spectantia in Bibliis nequidem tanguntur. In quibusdam tam parum accurate loquuntur Biblia, ut fere contrarium innuere videantur de eo, quod valet. In quibusdam adest accommodatio quaedam aut paedagogica, aut moralis, aut negative dogmatica, a quibus ad absolutam religionis doctrinam perperam conluditur.

In locis, ubi dictio est vulgaris, minus accurata, ambigua, aut saltem ad ακριβειαν scholae et rigorem logicum non composita, qualis saepe invenitur, praevia rerum cognitio requiritur, ne Biblia nos in errorem deducant. Ipsum judicium, utrum expressio biblica sit accurata, aut non accurata, magis aut minus accurata, supponit cognitionem rei, quam quaerimus. —

Idem fere valet de judicio, utrum expressio obscura aut clara sit; plerumque enim dictionem claram putamus, quae cum nostra praevia cogitandi ratione convenit: si vero minus convenire videtur, obscuram censemus. Denique licet dogmata quaedam saepius in Bibliis historice tangantur: tamen non proprie definiuntur, quod fere nunquam fit.

Inde errandi periculum ubique adest, et quidem eo majus, quo magis convenit cum rationibus psychologicis, ut interpres in fine disquisitionis exegeticae tale consectarium proferat, quod cum praevia ejus cogitandi ratione convenit, ita ut Biblia sine traditione et auctoritate interpretationis authentica saltem in rebus fidei et morum non sint nisi pomum discordiae, et dividant, Ecclesiam potius, quam unicam et indivisam conservent.

Utrum traditio in omnibus sit clara et definita, aut non talis, hujus loci non est examinare: ex eo tamen, quia diversi diversa dogmata ex illa deducunt, non vellem inferre cum cl. viro: Ergo traditio ipsa non est clara et definita. Quidquid sit, nota S. Augustini regula valeat: „In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas." Quodsi judicium de doctrinis traditionis relinquatur eruditis diversimode cogitantibus, ultro concedimus, eos non tantum quaedam obscura inventuros, sed etiam nonnunquam clarissima ceu obscura declaraturos, et de sensu Patrum aeque ac Bibliorum usque ad finem mundi disputaturos esse, quotquot Hermeneuticae patristicae et biblicae in lucem prodeant.

Aliter se res habebit, si explicatio traditionis saltem in necessariis illi auctoritati relicta fuerit, cui ex institutione divina munus pascendi gregem Domini competit; quod eo magis grato animo erga fundatorem et conservatorem hujus auctoritatis facere deberemus, cum hoc unicum sit medium ad finiendas religionis lites, et inter omnes constet, religionem non consistere in eo, ut de rebus et libris sacris, licet fortasse docte, erudite et ingeniose disputemus, sed ut dogmata fidei et charitatis credamus et impleamus.

SECUNDA PARS.

DE SENSU INVENTO RITE EXPONENDO.



§. 159.

Modo expositionis diversi.

Facilior et brevior Hermeneuticae pars expositione sensus inventi occupatur. Qualis haec generatim loquendo esse debeat, jam in parte isagogica §. 2. et §. 24. dictum est. At modus Scripturam exponendi multiplex et varius esse potest et debet pro diversitate finis, quem interpres sibi praefixum habet. Modo enim nonnisi intellectum audientium de rebus gestis et doctrinis religionis illustrare, modo simul animos excolere, affectus morales excitare, moresque informare intendit, quod in homiliis, catechesibus, meditationibus etc., fieri solet, et nonnihil diversum expositionis modum requirit.

Verum de singulis his exponendi modis fusius loqui non est hujus loci; hoc aliis disciplinis theologicis et praesertim prudentiae, et cognitioni naturae humanae eorum relictum manet, qui ad fines suos, et variis in rerum adjunctis locos biblicos exponunt.

§. 160.

Habeatur ratio eorum, quibus fit expositio.

Quod tamen generatim praecipi potest, illud est, ut quaevis expositio accommodata sit captui, votis et indigen-

tiis eorum, in quorum gratiam suscipitur. Etenim nonnulla sunt quibusdam tam imperfecte cognita, ut his non sine utilitate explicentur, quae contra aliis ita innotescunt, ut fusius exposita minus placeant, aut etiam nauseam creent.

Quaedam ejus naturae sunt, ut nonnisi in certa quadam forma e. g. historica ad captum incultorum deduci possint, et per tractationem doctam et subtilem eorum intellectum obruerunt potius quam illustrarent. Alii contra magis culti expositione historica non contenti solidiorem rei expositionem exoptant.

Nonnulla a quibusdam non desiderantur; sic populus christianus vulgaris conditionis subtiles disputationes de iis, quae fidem et mores non tangunt, fere abhorret. Alii vero accuratiorem rei expositionem, difficultates solutas, exhibitam cum principiis philosophicis convenientiam etc. audire gaudent. Jam ex his liquet, quod sana ratio dictat, quamcunque expositionem biblicam talem esse debere, ut desideriis, indigentiis et capacitati audientium respondeat.

§. 161.

Interpretationis species considerandae.

Omissis diversis modis exponendi Scripturam in doctrina christiana, hoc loco nonnisi de quatuor speciebus interpretationis biblicae agemus, scilicet de versione, paraphrasi, scholiis et glossis, et de commentariis. Finis noster in his tradendis eo potissimum spectat, ut necessariis cognitionibus imbuti labores biblicos eruditorum rite dijudicare, debito modo pro nobis et aliis adhibere, aut, si ita merentur, rejicere discamus.

I.

§. 162.

Versio, ejusque suprema lex.

Si liber aliquis peregrino idiomate scriptus est, pro iis, qui idioma hoc non intelligunt, sensum vero intelligere cupiunt, necessarium est, ut liber ille in linguam cognitam transferatur. Hujusmodi jam translatio v e r s i o dicitur, quae non est nisi permutatio linguae libri alicujus cum alia lingua.

Ex hac definitione sua sponte in oculos incurrit, quaenam sit suprema versionis lex, scilicet: A versore nihil est immutandum nisi lingua. Proin nulla virtus sive logica sive aesthetica orationi est addenda nec detrahenda. Qui enim versionem libri alicujus suscipit, simul officium sibi imponit referendi fideliter sensa libri originalis, et non alia.

Quodsi forte sensum libri sacri improbandum esse censet, ut fieri solet in miraculis, vaticiniis, mysteriis; nihilominus viri probi officio tenetur, ut referat sensum libri, non suum intrudat; quare mendacii se reum facit, si huic officio non satisfacit. Nec illi, qui versione utuntur, placita versoris, sed sensum textus originalis scire desiderant.

Cum insuper versor personam auctoris gerat, non tantum in materia, sed etiam in forma orationis textum originalem exprimat, in quantum linguarum indoles permittit. Ex his patet, discrimen inter versionem ecclesiasticam et privatorum usibus destinatam non esse in rei natura fundatum. Versio fusior, quam textus originalis paraphrasibus potius annumeranda est.

§. 163.

Quae liceant versori, et quae non liceant.

Cogitatus operis originalis a versore fideliter esse ex–

primendos saltem in theoria nemo negat. Non ita omnes eruditi conveniunt quod modum sensa illius efferendi. In hoc nonnulli versori omnes habenas relaxant, nullisque restrictum esse frenis volunt libertatem, qua indolem linguae versionis sequatur.

Attamen qui ita sentiunt, non perpendisse videntur, quid sit alterius personam referre, atque ectypum efficere, qui archetypum perfecte exprimat. Praeterea propria quaedam voluptas oritur e versione, quae cum opere originali etiam in modo res repraesentandi consentit; quae vero evanescit, si versor hunc modum libri originalis negligit. Majoris momenti est metus, ne versor, qui nimia libertate usus phrases operis originalis mutat, simul etiam cogitatus plus minusve immutet.

Quare distinguimus inter eas peregrini idiomatis proprietates, quae ad grammaticum ejus habitum propriamque indolem pertinent, aut ex mera linguae inopia, aliove simili defectu descendunt, et inter eas, quae sive antiquitatis, sive patriae, sive certae cogitandi ac sentiendi rationis auctoris notas characteristicas constituunt.

Quod attinet proprietates circa habitum grammaticum, plenam in his non tantum libertatem tribuimus versori, sed etiam mutandi officium injungimus, quia alias soloecismi prodirent. Idem valet de iis, quae linguae peregrinae ita propria sunt, ut linguae versionis vel prorsus non, vel saltem minus respondeant. In his quoque plenam versori libertatem concessam esse fatemur; imo etiam officium vertentis est, ut in hoc casu mutationes in modo exprimendi faciat; nam expressiones a genio linguae versionis admodum abhorrentes nauseam creant, et ipsa doctrina et res, quae ita profertur, in oculis audientium vel legentium de excellentia sua perdit; ut nihil dicamus de eo, quod si datum fuisset auctori ut lingua versionis, sine dubio hujus,

non originalis linguae indolem sequutus fuisset. Joann. XX. 1: *Τῃ δε μιᾳ των σαββατων*, a Vulg. quidem litteraliter, at non ad indolem linguae latinae redditur per: „Una autem sabbati.“

Ea, quae linguae originali ita inhaerent, ut in lingua versionis efferri non possint, cum aliis formulis permutanda sunt, quae proxime accedunt ad expressionem libri originalis. Genes. II. 23 relatio verborum inter יש et ישא in versione latina sat bene indicatur: „Haec vocabitur virago, quoniam de viro sumta est.“ Negligitur a Sept. *Αυτη κληθησεται γυνη, ότι εκ του ανδρος εληφθη.* Symmach. *Αυτη κληθησεται ανδρις, ότι εξ ανδρος εληφθη*; bene, si *ανδρις* diceretur pro *γυνη*. Male Theodotion: *Αυτη κληθησεται λημμα, ότι εκ του ανδρος εληφθη.*

Repetitio earundem particularum et verborum nobis minus placet quam antiquis; inde in hoc ab opere originali discedere et in verbis variare potest versor, quamvis idem verbum in textu originali semper redeat.

Quod vero attinet secundi generis proprietates, nullo modo eas negligendi licentiam versori concedimus, sed requirimus, ut versio indicia antiquitatis, patriae, cogitandi ac sentiendi rationis etc. referat, quae inveniuntur in textu originali. Siquis e. g. psalmos davidicos ex lingua hebraica in latinam vertit, postulamus, ut psalmi latini non prodant poetam latinum, sed psalmistam orientalem, palaestinensem illius aetatis, in qua psalmi compositi sunt. Proin non negligat aut immutet metaphoras, imagines et similitudines palaestinenses et orientales de cedris Libani, de Jordane, monte Sion etc. Retineat insuper, quae exprimunt cogitandi ac sentiendi rationem israeliticam in genere, et davidicam in specie, licet a nostra abhorreat.

§. 164.

Frequentiora versionem vitia.

Versionum vitia partim spectant ad formam, partim ad materiam orationis. Primi generis sunt:

a. Si litterae adeo inhaerent, ut verbum e verbo reddant, nulla habita ratione perspicuitatis; talia saepe occurrunt in versionibus antiquis. Vulg. nostra Philipp. II. 5: „Hoc autem sentite in vobis, quod et in Christo Jesu," i. e. idem sensus sit in vobis, qui fuit in Christo Jesu.

b. Si versio inopiae linguae originalis nullibi succurrit, et semper in versione repetit eadem vocabula, quoties occurrunt in textu originali.

c. Multo majoris momenti est illud, si verbis libri originalis diversae significationis idem semper vocabulum in versione substituitur, quod non habet omnes significationes verbi originalis. *Επαγγελλεσθαι* in Vulg. saepe bene redditur per promittere: at I. Tim. VI. 21 *επαγγελλομενοι* per profitentes reddi debuisset. Rom. VII. 15: *ου γινωσκω*, non bene redditur per non intelligo; vertendum fuisset per non approbo. *Λογος* saepe redditur per verbum, ubi doctrinam indicat. Rom. XVI. 18 *ευλογιας* non bene vertitur per benedictiones, licet alias hoc significet; vertendum est potius per adulationes.

d. Si versio sequitur etymologiam potius, quam usum loquendi. Rom. XIII. 10: „Plenitudo ergo legis est dilectio." Plenitudo quidem respondet etymologice graeco *πληρομα*; at juxta usum loquendi per complementum legis reddendum fuisset.

Majoris momenti versionum vitia sunt, quae spectant ad materiam sive sensum, et sunt potissimum sequentia:

a. Si versor ex praedilectione pro quadam opinione verbis textus originalis substituit vocabula, quae saltem ambi-

guae significationis sunt, ita ut determinatio non inveniatur in versione, quae adest in textu originali. Act. II. 4: „Caeperunt loqui aliis linguis (ἑτεραις γλωσσαις), sicut Spiritus dabat ipsis eloqui.“ Versio Augusti Schott reddit: „novis loquendi rationibus uti coeperunt, prout Spiritus iis pronuntiandi facultatem concesserat.“ At novae loquendi rationes non sunt idem ac ἑτεραι γλοσσαι. Ita vertit ex praedilectione pro opinione sna, ac si discipuli Jesu lingua tantum vernacula loquuti essent.

b. Si versor rem determinat, quae saltem indeterminata est in textu originali, et quidem iterum, ut fieri solet, ad proprias opiniones. I. Pet. V. 13: Ἀσπαζεται ὑμας ἡ ἐν Βαβυλωνι συνεκλεκτη. Vulgata: „Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone collecta“ (simul electa uti vos). Sed versio Augusti Schott habet: „Salutem vobis dicit uxor una mecum electa.“

At in textu originali neque adest uxor, neque mecum, cum illud συνεκλεκτη referendum sit ad ipsos fideles, quos ab initio epistolae ἐκλεκτους (electos) appellat. Non reprehendo, quod το Ecclesia non habet, ut Vulgata, cum in paucis codicibus inveniatur, licet certo subintelligenda sit. At illud est contra fidem vertentis, quod το uxor adjecit, quod in textu originali non invenitur.

c. Si prorsus alterius significationis vocabula in versione substituuntur, quam sunt in textu originali, ut sensus, qui principiis dogmaticis vertentis oppositus est, destruatur. Coloss. II. 9 legimus: „Ὁτι ἐν αὐτῳ κατοικει παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως. Accurate juxta Vulgatam: „Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter (essentialiter).“

Sed versio Augusti Schott habet: „Siquidem ei omnis bonorum numinis divini copia revera inhaeret.“ Tres hujus versionis errores quivis facile intelligit. Matth. XVII. 27:

„Et aperto ore ejus (piscis), invenies (εὑρήσεις) staterem. At Schott loco invenies habet lucraberis. Cur ita vertat, in oculos incurrit.

d. Si versio id, quod per se efficere non potest, per parentheses et adjectas notas efficere conatur, cujus rei plurima exempla nobis suppeditat eadem versio Augusti Schott. Coloss. I. 15 dicit Apostolus de Christo: πρωτότοκος πάσης κτίσεως. Primogenitus omnis creaturae. Hic addit Schott parenthesin (aliis omnibus prior creatus atque praestantior). — Exemplum notae adjectae habetur ad Act. II. 4, in qua negat, apostolos linguis aliis loquutos esse.

Ex his facile cognoscimus spiritum hujus versionis N. F.

§. 165.

Versionum censura generalis.

Non est hujus loci percurrere et dijudicare singulas versiones, sed generale tantum judicium ferre juvat.

Si versiones, quae exstant, juxta auditam normam examinemus, facile patet, antiquas omnes, si forte syriaca Peschito, versio Symmachi et quidam libri versionis alexandrinae excipiantur, laborare vitiis quoad formam, i. e. litterae plerumque ita inhaerent, ut verbum e verbo reddant fere nulla habita ratione perspicuitatis; inopiae linguae originalis rarissime succurrunt; vocabulis diversam significationem habentibus easdem voces substituunt, et haud raro etymologiam pro usu loquendi sequuntur. Inde antiquarum versionum fere generale vitium dici potest, quod sunt nimium litterales.

Contra vitium recentiorum versionum aeque fere generale est, quod sunt nimium audaces, ita ut sensibus Scripturae, qui minus placent, eliminatis, sua sensa ingerant, cujus rei exempla vidimus. Quare in his versionibus saepe

non cognoscimus, quid textus originalis contineat, sed quid e mente aut secundum praejudicia versorum continere deberet. —

Minus essentialia modernorum versorum vitia sunt, quod phraseologiae biblicae exiguam aut prorsus nullam rationem habeant, formam orationis sine ratione sufficiente mutent, quod ornatiore sermone, aut saltem magis ad morem nostrae aetatis composito utantur, quam antiquitatis ratio patitur, quod tamen minus reprehendendum videtur, dummodo modum teneant, et sensum fideliter exprimant, ut illud non reprehendimus, si versor inopiae linguae originalis succurrit.

Quaestio, num vitia antiquarum vel modernarum versionum sint magis essentialia, ex natura rei facile solvitur. Etenim, qui versione biblica utuntur, non desiderant scire, quid versor de hoc vel illo dogmate, de hac vel illa re cogitet, sed quid textus originalis contineat. Qui proin vitia circa materiam committit, officium probi versoris in se susceptum violat.

Generatim loquendo in Bibliis versionem litteralem praeferrem, licet habeat naevos quosdam, saltem quando adhibentur ad finem dogmaticum; experientia enim testatur, versores, quando a littera discedunt, licet sint modestiores quam Augustus Schott, fere semper a propria dogmatica dirigi solere. Inde depravatio quaedam per subjectivam cogitandi rationem versorum est fere inevitabilis, non tantum in locis ex natura sua ambiguis, sed etiam in claris, quod innumeris exemplis demonstrari posset; unum afferam.

Illud II. Tim. I. 13, quod saepius adduximus: *ὑποτυπωσιν εχε ὑγιαινοντων λογων, ὡν παρ' εμου ηκουσας* etc.; est sententia clara et perspicua, conveniens cum natura rei et adjunctis temporis, quo doctores christiani in ecclesiis, ut constat, ex dispositione apostolica delineatio-

nem dogmatum habebant, quae fidelibus tradiderunt. Talem ut habeat Timotheus, inculcat ipsi Paulus moriturus. Verum erronea cogitandi ratio de modo apostolorum tradendi religionis doctrinam et de consilio Bibliorum N. F. facit, ut locus clarus non intelligatur. Brentano illum reddit: Halt über den Inhalt der gesunden Lehre, die du von mir vernommen hast ꝛc. (Invigila argumento sanae doctrinae, quam a me accepisti). At, ut de reliquis nihil dicam, ubinam significat ἔχειν invigilare? —

Caeterum ea, quae de versionibus modernorum diximus, non de omnibus valent; sunt inter has etiam tales, quae omnem laudem merentur, ut versio germanica N. F. cel. Kistemaker et aliae.

§. 166.

Difficultas perfectae versionis biblicae.

Ex judicio Criticorum nulla versio Scripturae omnibus numeris absoluta habetur, quod minime mirandum est; labor enim versionis biblicae gravissimis difficultatibus obnoxius est, atque tot et tantas dotes et scientias requirit, ut nemo illi perficiendo par existimetur, nisi qui sagacissimo ingenio, ac subtilissimo pulchri et decori sensu praeditus, omnis generis eruditione instructus, in classicorum praecipue interpretatione versatissimus fuerit, et perfecta, quae haberi potest, linguarum peritia excellat.

Sine his versor in abditissimos sensus loquentis non penetrabit, nec ejus cogitandi, sentiendi ac loquendi habitum quasi sibi proprium faciet, nec praesto habebit voces et formulas, quibus omnem vim dictorum textus originalis exhauriat, orationemque tum expeditam tum concinnam reddat, sine qua virtute versio semper a perfectione plus minusve aliena censetur.

Ex mente eruditorum ad hunc perfectionis gradum non sufficit unius viri, imo nec unius aetatis conatus, sed si plurium virorum et seculorum vires ad eundem finem conspiraverint, demum versio Scripturae omnibus numeris absoluta exspectatur.

Quo minus tamen ipse tale quid sperem, non tam me impedit defectus cognitionum, quam diversitas principiorum, quae tenent eruditi, quaeque efficiet, ut nulla versio unquam omnibus naevis careat et omnibus satisfaciat. Huc accedit praeter lectiones variantes, praeter defectum interpunctionum et menda alia, quae tempore irrepserunt, imperfecta, ambigua et indeterminata loquendi ratio biblica, quae non raro talis est, ut ex natura sua plures et diversos sensus admittat, ubi semper subjectiva cogitandi ratio versoris decidere solet.

§. 167.

An et quo metro poemata hebraica verti debeant.

Quaesitum fuit multum ab eruditis, utrum poematum hebraicorum versio metro adstringenda sit nec ne. Quaestio haec a diversis diversimode soluta est; illi vero aperte errare videntur, qui promiscue cujuscunque metri usum concedunt; etenim cum hebraica poemata metro stricto careant, non hebraicum, sed graecum nos aut latinum opus legere existimabimus, si versio forte in hexametris et pentametris incedit, quae metra Hebraeis incognita fuerunt.

Provocant quidem haec defendentes ad sententiam eruditi Angli John Denham: Non solum lingua in linguam, sed poesis in poesin vertenda est. Verum haec sententia nihil valet, et versor poemata orientalia non mutare debet in occidentalia, ut ex antecedentibus fluit. Porro metrum non efficit poesin, quae omnino sine metro adesse potest,

et adest in multis pulcherrimis operibus poeticis etiam occidentalibus, uti est Telemachus Fenelonii: contra metrum solum dictionem non facit poeticam. Quodsi metrum efficeret poesin, de hebraica poesi tamdiu sermo esse non posset, quamdiu metrum hebraicum non est exhibitum.

Quare eorum sententiae accedendum erit, qui metrum, quod dicitur jambicum aut trochaicum, adhibendum esse dicunt, siquidem hoc ad prosam poeticam proxime accedit, simul tamen legentem sentire facit, poesin legi, non prosam; quod eo magis naturae consentaneum esse videtur, quod e mente eruditorum poemata hebraica non omni prorsus harmonia expressionum pro Hebraeis nativis carebant. Videatur Archaeologia Jahnii pars I. §. 100.

II.

§. 168.

Paraphrasis.

Si versio ad normam a nobis praescriptam composita est, obscuritatem, quae textui originali inhaeret, nec tollit, nec tollere debet. Hoc praestat paraphrasis, quae est uberior et fusior orationis continuae eloquutio ad perspicuam ejus cognitionem promovendam. Paraphrasis proin obscurum nexum membrorum orationis in luce collocat, dum notiones mediae a loquente omissae aut nonnisi implicite indicatae supplentur, dum expressiones vagae ac indeterminatae definiuntur inserendo necessaria ex locis parallelis aut analogis, ex rerum natura etc.

Quodsi obscuritas phraseologiae biblicae inest, substituuntur expressiones modernae satis clarae. Si venit a forma orationis, mutatur in clariorem; sic periodi compliciores et hinc minus lucidae in plures simpliciores resol-

vuntur. Nexus logicus, si forte expressus non est, adjicitur, atque ita quaecunque luce indigent, illustrantur.

§. 169.

Leges paraphraseos.

Suprema paraphraseos norma ex ejus fine derivatur, quae est perspicuitas. Quidquid proin haec requirit, non tantum licet paraphrastae, sed etiam ad ejus officium spectat. Quod vero ad promovendam perspicuitatem nihil confert, abhorret ad ejus munere.

Inde sequentes leges statuuntur:

a. Paraphrasis dicendi formam textus originalis non mutet sine omni ratione, quae non adest, si forma loquendi originalis textus per se prorsus clara et perspicua fuerit; licet enim a paraphrasi non aeque, ac a versione postuletur, ut auctorem ipsum loquentem nobis repraesentet; tamen ejus loquendi modum non penitus negligat, nec unquam finem suum ex oculis dimittat, qui non est, ut novam orationem efformet, sed ut orationem operis originalis, quatenus aut obscura aut minus clara est, perspicuam et perfecte claram reddat.

b. Sibi caveat paraphrastes a nimia prolixitate ac verbositate; nam per hanc facile contingit, ut contextus adeoque sensus magis obfuscetur, quam illustretur, dictorumque vis ipsa debilitetur, quod fini paraphraseos non respondet. Brevitas quaedam etiam hic observetur, et ubi tria verba ad finem perfecte sufficiunt, non adhibeantur quatuor.

c. Magis adhuc sibi caveat, ne cogitatus textus originalis immutet, eosque aut latiores aut angustiores, quam loquens intendit, proponat.

Licet haec regula vera et ab omnibus agnita sit, tamen nemo prudens exspectabit fore, ut a paraphrastis semper

accurate observetur. Si enim in omnem versionem plus minusve subjectiva cogitandi ratio versoris influit; quanto magis tale quid in paraphrasta locum habebit, qui necessario ex proprio cogitandi modo saepe orationem explicat et illustrat, adeoque ad sua sensa conformat?

Ut proin a legente ipso comparatio inter paraphrasin et versionem aut ipsum textum originalem institui possit; consultissimum est, ut junctim simul proponantur, ut fecit Brentano; saltem cultiores tali modo facilius observare poterunt, ubi paraphrasta suum, et ubi textus originalis sensum sequatur.

§. 170.

Exemplum paraphraseos.

Ut dicta facilius intelligantur, affero exemplum ex paraphrasibus cel. Erasmi, qua Joann. III. 5—8 explicat.

„Ne hoc quidem tam crasso responso (Nicodemi) offensus Jesus, gravatur interpretari, quid sit nasci denuo, sive e supernis. Verissimum est, inquit, Nicodome, quod dixi. Renascendum est ei, qui velit esse capax evangelicae doctrinae: sed aliud nativitatis genus est, de qua loquimur. Non enim est carnalis, sed spiritualis: nec constat propagatione corporum, sed transformatione animarum. Nec hac nativitate rursus efficimur filii hominum, sed filii Dei. Itaque pro certo habe, quod modo dixi: nisi quis denue natus fuerit per aquam et Spiritum S., et ex carnali fiat spiritualis, non poterit ingredi regnum Dei, quod prorsus spirituale est.“

„Simile nascitur de simili. Quod e carne nascitur, nihil aliud est, quam caro; caeterum quod e spiritu natum est, spiritus est. Quantum autem interest inter carnem et spiritum, inter corpus et Deum, tanto praestantior est haec,

de qua loquor, generatio ea, quae corpus propagat e corpore. Qui juxta carnem nati nihil aliud quam carnem sapiunt, nihil esse credunt, nisi quod sensibus percipiunt."

„Atqui ea, quae nec videntur, praestantissima sunt, vimque maximam habent, cum caro sit infirma et impotens. Quare cum alia sit nascendi ratio, non est, quod mireris, homini secundum carnem nato, ut esset filius hominis, eidem secundum spiritum invisibiliter esse renascendum, ut possit esse filius Dei, qui spiritus est et aptus regno coelorum, quod spirituale est, non carnale."

„Quodsi nondum animo consequeris, sume tibi imaginem ab his rebus, quae cum spiritualibus nonnullam habent congruentiam, et tamen corporeis sensibus percipiuntur. Deus simplicissimus est spiritus, proculque semotus ab omnibus sensibus corporeis: sed hic äer, quo vegetamur, et cujus tantam vim et utilitatem sentimus, quoniam ad nostra corpora collatus subtilior est, spiritus dicitur."

„Atque hic spiritus non cohibetur hominis arbitrio, sed impetu suo fertur, quo visum est, per omnia se diffundens, mirificam vim inferens rebus corporalibus: nonnunquam vitam afferens, nonnunquam mortem; nunc tranquillus ac tacitus, nunc rursus violentior; interim ab Oriente spirans, interim ab Occidente, interim ab aliis atque aliis mundi partibus; et effectu se prodit, ac vocem illius audis, quum nullum corpus videas, nec sit, quod manibus possis apprehendere: sentis praesentem, nec vides venientem, nec vides, quo se proripiat abiens."

„Tale quiddam habet haec spiritualis nativitas. Arcanis afflatibus mentes hominum a Dei spiritu rapiuntur, ac transformantur. Vis ex effectu ineffabilis sentitur, nec tamen oculis cernitur id, quod agitur. Et qui sic renati sunt, non jam aguntur humano carnalique spiritu, sed spiritu Dei, qui vivificat ac moderatur omnia."

§. 171.

Paraphrastarum censura.

Inter paraphrastas praesertim nominantur Erasmus et Brentano, qui Biblia N. F. versione germanica, paraphrasi et annotationibus instruxit. Semlerus ob durius et hoc ipso obscurum dicendi genus, quod ubique sequitur, prioribus postponitur. Hessius commentatoribus potius, quam paraphrastis annumeratur. Neque Cramerus, qui psalmos circumscripsit, puro paraphraseos fine continetur. At non est hujus loci singulas paraphrases enarrare et judicare; hoc vero generatim dici potest: Cum paraphrases ex natura sua fusiorem textus biblici expositionem continent, ubi subjectiva cogitandi ratio circumloquentis plus minusve fere necessario influit; illi paraphrastae omnem laudem merentur, qui attenti ad indolem ac finem Bibliorum et ad dispositionem divinam in Ecclesia paraphrases suas in rebus fidei et charitatis accurate ad doctrinam Ecclesiae conformant, nec sibi arrogant facultatem proferendi quaedam, quae huic minus respondent, in quo ipsi eruditissimi alias et doctissimi viri, qualis fuit Erasmus, non satis caute versati inveniuntur.

III.

§. 172.

De scholiis et glossis.

Obscuritas orationis, quae circa membrorum nexum versatur, tollitur omnino per paraphrasin. Verum haec obscuritas non est unica, sed insuper sunt alia, quae lucem requirunt, uti allusiones ad ritus et consuetudines antiquas, res nobis peregrinas, expressiones obscurae etc.

Cum jam paraphrasis continuae orationis formae ad-

stricta est, quae excursiones ad alia declaranda non permittit, ea, quae insuper lumine indigent, singularibus quibusdam notis declarari solent et debent.

Placuit vero etiam antiquis et modernis omissa paraphrasi brevioribus quibusdam annotationibus illustrare, quae sive ob nexum logicum, sive alia de causa declaratione indigent. Hujus generis notae sunt scholia et glossae apud antiquos occurrentes. Differentia ab origine haec fuisse videtur: scholia explicant res, adeoque locos ob contextum aut rerum naturam obscuros: glossae vero explanant verba ob antiquitatem aut raritatem usus obscura. Cum autem illustratio verborum plerumque etiam sit illustratio rerum, et explicatio rerum etiam explicatio verborum, facile intelligitur, cur scholia et glossae confluant et fere confundantur.

Recentiores per adjectas declarationes omnis generis difficultates et obscuritates tollere solent, quas notas, annotationes aut etiam scholia appellant.

§. 173.

Scholia et glossae antiquorum.

Scholia pro N. T. in Patribus graecis, ut Origene. Chrysostomo et aliis inveniuntur. Posteriores Graeci ex illorum operibus notas has collegerunt, et hujusmodi syllogas seu collectiones catenas nominarunt. In his celebrantur catena Olympiodori, alia Nicetae Heracliae Episcopi, alia Procopii Gazensis. Etiam S. Thomas Aquinas catenam composuit in Matth. e Patrum sententiis contextam. Alia scholia collecta sunt ex ipsis codicibus, quibus aut in margine erant adjecta, aut inter textum scripta. Qui talia undecunque collecta referunt, scholiastae nominantur. Liber, in quo collectae glossae explicantur, glossarium dicitur. Glossatores sunt, qui glossas scripserunt. Subjungimus ex

Hermeneutica Arigleri praecipua opera, in quibus scholia et glossae inveniuntur.

Glossas scripserunt:

1. Hesychius, qui probabilius circa annum 399 floruit.

2. Suidas, qui circa annum 978 vixisse creditur.

3. Phavorinus, qui Camerino in Umbria oriundus anno 1537 mortuus est.

4. Auctor Etymologici magni, qui ad finem sec. X., vel certe initio sec. XI. floruit.

Glossas sacras in hisce comprehensas peculiari libello complexus est Ernesti, cui titulum fecit:

„Suidae et Phavorini glossae sacrae cum spicilegio glossarum sacrarum Hesychii et Etymologici M. Congessit et notis illustravit Joann. Christ. Ernesti. Lipsiae 1781."

His adjungi meretur:

„Glossarium graecum in sacros N. T. libros ex manuscriptis editum notisque illustratum a Joanne Alberti. Lugduni Batavorum 1735."

Scholia nobiliora congesta inveniuntur in sequentibus duobus operibus:

„Novum Testamentum unacum scholiis graecis, e graecis scriptoribus tam ecclesiasticis quam exteris maxima ex parte desumtis, opera et studio Joannis Gregorii Oxon. 1703."

Et:

„Nov. Testam. duodecim tomis illustratum. Graecum et latinum textum denuo recensuit, varias lectiones nunquam antea vulgatas collegit — scholia graeca maximam partem inedita addidit et edidit Christ. Frid. Matthaei. Rigae 1788."

§. 174.

Diversum pretium glossarum et scholiorum.

Ex dictis facile patet, scholia et glossas diversa habere pretia, prout scilicet auctores magis aut minus linguae et rerum periti fuerunt. Quod attinet declarationes expressionum obscurarum, serviunt ad loquendi usum cognoscendum, si ex perfectiori linguae cognitione oriuntur, non item si ex conjecturis prodierunt.

Primi generis exempla ad eruditis habentur:

Matth. V. 18: „Jota unum aut unus apex (*κεραια*) non peribit a lege." *Κεραια* explicatur ab Hesychio per *αρχη γραμματος*.

Matth. VI. 7: „Putant enim, quod in multiloquio (*πολυλογιᾳ*) suo exaudiantur." Suidas *πολυλογιᾳ* explicat per *βαττολογειν*, quod significat res inanes proferre.

Matth. VI. 16: „Exterminant (*αφανιζουσι*) enim facies suas." Hoc *αφανιζουσι* Suidas declarat per *μολυναι*, quod significat inquinare.

Joann. V. 13: „Jesus enim declinavit (*εξενευσεν*) a turba constituta in loco." Istud *εξενευσεν* in hac significatione minus usitatum declaratur per *ανεχωρησεν*, discessit.

Contra dum Suidas in Matth. VI. 11: „Panem nostrum *τον επιουσιον* da nobis hodie;" expressionem minus claram *επιουσιον* ex die crastina declarat; suspecta habetur declaratio, quia eam non ex loquendi usu, sed ex sola significatione verbi *επειμι* (succedo) sumsisse creditur.

Item si I. Cor. XVI. 1 *λογια* Phavorinus explicat per *ἡ συλλογη*, nonnisi e contextu adeoque conjectura suam explicationem collegisse putatur. (Hermeneutica Arigleri).

Mihi saepe difficile videtur judicium, utrum antiqui verborum declarationes ex profundiori linguae cognitione, vel potius e contextu adeoque conjectura hauserint, nec

primi generis exempla ab omni conjecturae suspicione liberarem.

In declarationibus rerum et illustrationibus sensus eruditio, aetas, et ingenium eorum spectatur, a quibus originem habent; praesertim laudantur scholia Origenis et S. Chrysostomi. In plerisque nosmet ipsi de pretio judicare valemus.

§. 175.

Schollorum officia.

Ex fine, in quem declarationes adhibentur, facile colligimus, quid praestare debeant. Si adest paraphrasis, ea tantum illustrantur, quae in hac ex natura sua, ut diximus, declarari non possunt. Si vero paraphrasis abest, in scholiis seu annotationibus

lectiones variantes majoris momenti breviter juxta regulas criticas judicentur.

Expressiones difficiliores per faciles, obscurae per claras, rarae per obvias, tropicae per proprias exponantur. Si deest nexus, adjiciatur.

Personae, loca geographica, allusiones historicae etc., si non sunt, satis notae, paucis describantur ac illustrentur.

Praecipuae interpretationes referantur, et, in quantum fieri potest, dijudicentur.

Demum et loci paralleli aut afferantur, aut saltem indicentur.

Haec omnia fiant illa perspicuitate, brevitate et accurata declarandi ratione, quae nihil difficile et obscurum intactum relinquit, nec aliquid jam antea clarum explicatione onerat. Majus vitium et quidem satis frequens est, si interpretes in annotationibus corollaria deducunt, quae in eorum praejudiciis potius, quam in textu fundata sunt.

Quod Brentano ad I. Tim. IV. 8 contra exercitia ascetica affert, non in textu rite intellecto, sed in ejus praejudiciis fundamentum habet.

Scholiis affines censentur quaestiones, quas antiqui scriptores ecclesiastici in quosdam libros conscripserunt, quae non ut scholia omnia minus clara dilucidant, sed quasdam tantum difficultates, quae eorum temporibus movebantur, spectant.

Utilitatem magis generalem praebent dissertationes exegeticae, quarum exempla videri possunt in Calmeto, 3 tom. in A. et N. T.

IV.

§. 176.

Commentarius.

Commentarius est solida atque erudita sensus expositio, quae omni eruditione et profunda rerum cognitione fusius praestat, quod scholia paucis et breviter innuunt. Inde auctor commentarii satis non habet attulisse ea, per quae plana et expedita redditur lectio libri, nec breviter tantum ut scholiastes difficultates solvit, sed talem cognitionem praebere conatur, qua sensus Bibliorum ex omni parte ita illustratur, ut subtilissimae quoque difficultates et dubia evanescant; aut si hoc fieri nequit, gradus certitudinis determinetur, qui consideratis omnibus in singulis locis pro sensu quocunque habeatur.

§. 177.

Officio commentarii.

Ex definitione et fine commentarii gravia ejus officia facile intelliguntur:

1. Afferat lectiones variantes, quae pro sensu cujusvis loci sunt alicujus momenti, easque ex argumentis internis et externis juxta regulas criticas dijudicet, ut lectio originalis ab irreptitia cum certitudine vel saltem probabilitate distingui possit.

2. Considerentur singulari studio, quaecunque vel philologice vel hermeneutice dubia aut minus certa sunt. Usus loquendi incertus testimoniis, si praesto sunt, confirmetur, vel saltem per etymologiam aut analogiam linguarum illustretur. Vagus loquendi usus ad consilium et nexum orationis, caeterasque regulas hermeneuticas exigatur, nec unquam ratio cogitandi, sentiendi ac loquendi auctoris aliunde nota ex oculis dimittatur.

Ubicunque major est interpretationum varietas, earum saltem praecipuae examinentur et dijudicentur, simulque gradus probabilitatis indicetur, qui pro uno vel altero sensu adesse videtur.

3. Res, quae tanguntur, et cogitandi modus a nostro diversus non tantum simpliciter describantur et referantur, sed etiam ii loci auctorum verbotenus afferantur, e quibus descriptiones et relationes sumtae sunt, ut lectores ipsi de rebus judicium ferre possint.

4. Ut nostri aevi desideriis satis faciat commentarius, sollicite rem discutiat, si forte auctor sacer quibusdam ex mente aliorum loquutus esse, aut mythum composuisse videtur. Aeque diligenter examinet, utrum auctor eventum miraculosum vel naturalem referre voluerit.

Neque commentario vitio verti potest, si nutum adjiciat, quomodo dicta auctoris cum objectiva veritate philosophica consentiant, licet examen veritatis objectivae ad officium interpretis non spectet. Majori jure postulatur a commentario, ut doctrinas auctoris sacri a repugnantia cum sana ratione vindicet, et distinguat temporaria ab iis, quae

sunt dogmata absoluta auctoritate magisterii ecclesiastici jam decisa, quia in theologorum usum scribi solet, quorum id scire vel maxime interest. Distinguat non minus, si potest, quae cum accommodatione quadam dicuntur, ab iis, quae sine accommodatione proferuntur.

5. Versio et paraphrasis non quidem necessario semper cum commentario conjunguntur; at ubi textus originalis obscurus, vel versiones inclytas corrigendi locus est, aut nexus logicus membrorum minus clarus invenitur, utraque addi debet et solet.

Quod attinet formam commentarii, ea, quae ad illustrandum et declarandum afferuntur, partim continuo cuivis versui, cuivis voci et loquendi formulae minus clarae subjiciuntur, partim ad finem capitis, aut si major interpretationum varietas discutienda est, ad finem libri referri solent.

§. 178.

Vitia commentarii.

Ex allatis officiis facile cognoscuntur vitia commentarii, qualia sunt, si ad quasque lectionum minutias excutiendas descendit, aut obvias quoque formulas explicat: contra locos graviores intactos relinquit, vel obiter tantum libat, aut si locos difficiles mystice interpretatur sine praemissa interpretatione litterali. Huc refero etiam illud, si certitudinem infert, ubi res ex solis Bibliis nonnisi dubia aut probabilis declarari deberet. Hoc est quasi commune interpretum vitium, quia plerique aliud non agunt, nisi ut confirment et demonstrent suas opiniones praeconceptas ex Bibliis. Inde certitudinem inferunt, ubi neque a longe adest; inde tot habemus interpretationes oppositas in iisdem locis, quarum auctores aequaliter certitudinem venditant.

Demum ad vitia commentarii spectat, si digressiones

huc non spectantes aut integras dissertationes dogmaticas et morales continet; similiter si interpretationes juxta formulas dialecticas ex systemate philosophico repetit et eidem systemati, e. g. Kantiano, accommodat.

§. 179.

Praestantiores commentarii.

Ex antiquis praecipue laudantur ab eruditis commentarii Origenis, Hieronymi, Theodoreti et Theophylacti, qui ex historia ecclesiastica satis noti sunt. His junguntur homiliae divi Chrysostomi, in quibus S. Pater textus biblicos saepe egregie interpretatur.

Ab aevo inventae typographiae praeclarius in studio biblico versati sunt ex Catholicis Erasmus, Estius et Maldonatus, nec penitus rejiciendi sunt commentarii Emanuelis Sa, Menochii, Tirini, Cornelii a lapide, quamvis naevis non careant. Meliores censentur Weitenauer et de Sacy. His anteponendus videtur Calmetus, qui in suo commentario interpretationes antiquorum et recentiorum congessit, licet nonnunquam judicium, ut vult Jahnius, desideretur, quo quivis proprio uti potest.

Inter Acatholicos illius aevi Hugo Grotius in V. et N. T. omnes reliquos superavit. Plurium Acatholicorum interpretationes doctae et eruditae collectae sunt in Criticis sacris, quae prodierunt Amstelodami 1698.

Ex recentissimis inter Catholicos Germaniae laudatur commentarius Dereseri in libros V. T., et Schnappingeri in libros N. T., quibus jungi meretur Brentano, de quo supra. Huc referrem Comitem de Stolberg et Professorem Kistemaker, licet eorum nota opera tanquam perfecti commentarii considerari vix possint.

Inter Italos commemorari merentur Martini Archiepi-

scopi Florentini S. Scriptura V. et N. T. in linguam italicam ex Vulgata translata et bonis annotationibus illustrata, in quibus saepe ad textum originalem, respicit, et commentarius de Sacy ex lingua gallica in italicam translatus.

Ex Protestantibus scholia Rosenmülleri, et Chr. Teoph. Künelii commentarius in libros N. T. historicos laudantur. Commentarius Pauli Heidelbergensis in Evangelia carpitur ex eo, quia in favorem opinionum suarum non raro etymologiam pro usu loquendi sectatur, et per interpretationem suam psychologicam (§. 23.) eventus miraculosus in naturales convertit, ita ut religio supernaturalis destruatur. Contra hunc scripsit Sandbichler Professor Salisburgensis in libello, cui titulum fecit: Die Stimme des Rufenden in der Wüste. (Vox clamantis in deserto).

In Actus Ap. commentatus est Morus, cujus opus edidit Dindorf et Heinrich. In epistolas singulares commentati sunt alii.

In Apocalypsin commentarium scripsit Eichhornius, cui jungendae sunt annotationes in hunc librum auctore Storrio editae. Ad eandem spectant Aloysii Sandbichleri Erläuterungen zu Joh. Jac. Hess Geschichte Jesu und der Apostel Th. II. Demum ad commentarios referendum videtur novissimum, quantum scio, hujus generis opus cum titulo: Interpretatio sacrae Scripturae per omnes veteris et novi Testamenti libros ab Joanne Nep. Alber etc.

(Qui plura desiderat, potest adire Enchiridion Hermeneuticae generalis Jahnii, qui a pag. 157—177 recenset praecipuos interpretes judaicos et christianos antiquioris et recentioris temporis, et simul auctores indicat, ubi plura adhuc inveniri possunt.)

§. 180.

Exercitia practica partis I. Hermeneuticae.

Ad theoriam interpretationis, quam hucusque descripsimus, exercitatio quoque accedere debet, ut quis ad interpretandum idoneus reddatur. Teste enim experientia in omnibus scientiis ac artibus theoria sola sine praxi, per quam regulae theoreticae adhibentur, non multum prodest, imo plerumque rite ne intelligitur quidem. Fit enim non raro, ut theoriam perfecte nobis tenere videamur; at si opus ipsum aggredimur, haeremus, quia principia theoretica applicare ignoramus. Quare exercitatio accedere debet, quae facit, ut theoriam perfecte intelligamus et habitum in applicatione regularum ad Scripturam interpretandam nobis acquiramus, quod sine multo exercitio fieri nequit.

Quomodo jam hoc exercitium instituendum est?

Ab initio exercitatio exegetica feliciter succedere vix poterit sine duce aliquo. Hujusmodi dux esse potest bonus commentarius, aut explicationes in praelectionibus. Hoc suo duce tiro ita utatur, ut videat, quomodo regulae hermeneuticae adhibendae sint; simul observet, an non ipse fortasse dux, qui legitur aut auditur, hinc inde regulis minus recte utatur; an non forte verba invitis principiis interpretandi, invito usu loquendi ad sua sensa detorqueat; nullus enim interpretum, ut ait Jahnius, nunquam peccat.

Hac observatione per tempus continuata ipse propriis viribus experimentum faciat, et laborem suum cum explicationibus aliorum interpretum conferat, huncque laborem eo usque continuet, donec sibi habitum contraxerit. Eodem tempore plures commentarios consulat, ut in variarum interpretationum notitiam perveniat, easque examinet, ac in iis ponderandis judicium suum exerceat.

Per lectionem variarum interpretationum inter alia observabit, quantopere interpretes, licet ab iisdem principiis

hermeneuticis digressi in corollariis interpretationis differant; — observabit, interpretationem ut plurimum dependere ab opinionibus praeconceptis interpretantium, atque inde perspiciet, quam sapienter divinus religionis nostrae Auctor pro asseclis suis auctoritatem aliquam constituerit ad dogmata religionis suae authentice definienda et declaranda.

Inter has occupationes, ut suadent eruditi, legendi quoque sunt et excerpendi libri, in quibus et linguarum et rerum historiaeque cognitio amplificatur, qua lectione priora exercitia faciliora et utiliora redduntur.

Pastoribus animarum facilius et forte utilius aliud est exercitium, quod dicitur analysis seu resolutio argumenti totius libri in suas partes majores et minores.

Hunc in finem liber attente ac saepius legatur, et discrimina argumenti diligenter observentur, juxta quae liber in partes majores, et hae iterum in minores resolvi possunt. Sic attente legendo Act. Apost. observamus tres praecipuas partes: Fundationem Ecclesiae inter solos Judaeos — inter Judaeos et gentiles simul — fata et facta Pauli usque ad annum 63 aerae vulg., quae partes iterum resolvi possunt.

Tali exercitio argumentum librorum perfecte cognoscitur, memoriae imprimitur, et pro doctrina populi argumenta comparantur saltem historica, ipsique fines scriptorum sacrorum, si non semper cum certitudine, saltem cum magna probabilitate intelliguntur.

§. 181.

Exercitia partis II. Hermeneuticae.

Nec exercitia in sensu exprimendo suo fructu carent. Dum enim legimus orationem biblicam, omnia saepe sat bene nobis intelligere videmur. At si ad amussim juxta regulas versionis allatas dicta auctoris in lingua vernacula exprimere aggredimur; sentimus non raro, non auctoris sermonem non

tam perfecte intelligere, ut illum statim in lingua vernacula tam accurate reddere sciamus, ut nec plus, nec minus, nec aliter versio rem exprimat, quam textus originalis. Inde notiones verborum, sensus dictorum, nexus orationis ac res ipsae diligentius considerandae, examinandae ac definiendae sunt, ut expressiones versionis textui originali perfecte respondeant. Tale exercitium continuatum sine dubio aliquam utilitatem habet.

Exercitium paraphraseos facilius quam versionis adhuc majorem utilitatem praebet; dum enim locum conciso praesertim stilo scriptum paraphrastice tractamus juxta §. 168., obscuris expressionibus claras substituendo, quaedam ex locis parallelis, analogia aut natura rerum inserendo, rationes et nexum, si forte deest, addendo, formam orationis difficilem in faciliorem resolvendo etc.; locis illius ideas claras totumque sensum perspicuum nobis reddimus. Insuper in doctrina populi saepe se offert occasio et necessitas locos biblicos paraphrastice tractandi, raro autem accurata versione efferendi.

Siquis demum locos quosdam difficiliores annotationibus in usum proprium conscriptis illustraverit, ut fieri solet in scholiis et commentariis; hoc labore notiones suas perficiet, et dexteritatem suam in Scriptura interpretanda et familiaritatem cum rebus theologicis augebit.

Terminamus Hermeneuticam cum voto, ut quivis Scripturam juxta allatas regulas sibi et aliis interpretetur, nunquam non attentus ad ea, quae de consilio Bibliorum et de dispositione divina in Ecclesia valent, quae dispositio omnibus est veneranda, qui non tantum coram hominibus, sed etiam coram Christo volunt esse Christiani. — Quodsi illa, ut decet, nobis ob oculos versantur, cum magna utilitate Biblia legemus securi a periculo incurrendi in scopulos, in quibus multorum fides naufragium fecit.

FINIS.

Corrigenda.

Pag. 28 lin. 16 pro לְטַעַן legatur לְמַעַן
— 45 — 18 post forte addatur in
— 54 — 14 post Malach mutetur punctum in comma
— 90 — 29 post Idem addatur valet
— 90 — 32 pro IV. legatur VI.
— 103 — 17 deleatur cum
— 107 — 19 post supersensualia addatur sensualibus
— 112 — 19 pro 28 legatur 18
— 116 — 18 pro XXXIV. legatur XXXIX.
— 128 — 17 pro attemporarunt leg. attemperarunt.
— 145 — 17 pro postquam leg. separatim post quam
— 150 — 22 pro Act. III. leg. Act. II.
— 153 — 27 pro CXVIII. 24 leg. CXVII. 23
— 154 — 2 pro contradictiones leg. contradictionem
— 161 — 23 pro eum leg. cum
— 165 — 24 pro 22 leg. 27
— 167 — 14 pro 2 leg. 12, contra eadem pag.
— 15 pro 21 leg. 2
— 181 — 15 pro 33 leg. 23

Alia menda benignus lector ipse corriget.



1- 1-